

## Werk

**Titel:** Commentationes Societatis Regiae Scientiarum Gotti

**Verlag:** Dieterich

**Jahr:** 1828

**Kollektion:** Wissenschaftsgeschichte

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN35283028X\_0006\_2NS

**PURL:** [http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN35283028X\\_0006\\_2NS](http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN35283028X_0006_2NS)

**LOG Id:** LOG\_0042

**LOG Titel:** Commentationes classis historicae et philologicae

**LOG Typ:** section

## Übergeordnetes Werk

**Werk Id:** PPN35283028X

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN35283028X>

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

# COMMENTATIONES

SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM  
GOTTINGENSIS

RECENTIORES

CLASSIS HISTORICAE

ET

PHILOLOGICAE

TOM. VI.



---

DE  
NUMIS GRAECIS ET BARBARIS  
IN BOCHARA

NUPER REPERTIS

INPRINIS

NUMO DEMETRII, INDIAE REGIS

CUM

OBSERVATIONIBUS SUPER NUMO PRO ANTIGONI ASIAE REGIS HABITO

AUCTORE

T. H. CHR. TYCHSEN

RECITATA D. XXXI. MAII A. MDCCCXXIII.

---

Quod in illustrando tetradrachmo Atheniensi antiquissimo moneram, nouis indies accessionibus augeri rem numariam veterem, id ultra spem euentus comprobauit, reperiis in intimis Asiae recessibus numis aliquot graecis et barbaris, plane adhuc incognitis, quorum imagines oculis Vestris propono. Effossi sunt illi ante biennium in Bochara, celebri per medium aeuum Sogdianae urbe, ad Oxum fluum sita, vbi, fideli terrae custodiae erepti, sub qua per viginti fere secula delituerant, in manibus barbarorum hominum interituri erant, nisi propitia fortuna adfuisset vir intelligens et antiquitatis studiosus, qui eos redemptos ab interitu vindicaret et in literarum vsum conseruaret. Fuit is liber baro de Meyendorf Augustissimo Russorum Imperatori inter corporis custodes tribunus, tunc forte ab Imperatore ad deducendos cum praesidio legatos Bocharam

missus. Is igitur numorum ectypa, sulphuri et stanno impressa, per fratrem, qui studiorum causa apud nos versatur, ad collegam conunctissimum ill. Heeren transmisit, qui ea nobiscum humaniter communicauit et illustranda permisit.

Sunt autem hi numi octo numero, omnes adhuc ignoti et in suo genere singulares.

### I. Numi barbarici.

- N. 1. Quatuor numuli, aereos esse puto, haud parum detriti.
- P. I. *Caput regis barbari ad d. barbatur, diadematur, ut videtur, fluitante retro capillo.*
- P. II. *Vir petasatus, siue galea macedonica tectus, stans, curto vestitu, dextra hastam tenens, sinistra femori immixta. In utroque humero prominet pyramidis paruae instar. Inscriptio- nis ad s. superest ΑΟ. ΗΔ. ad d. distinguere mihi videor O.. IO.*
- Haec duo ectypa eiusdem numi esse docet nota inscripta.

Reliquorum III. numorum auersa saltem sulphure expressa est, unde fas est existimare, anticam a superiore non diuersam esse, igitur

- Num. 2. *Vir stans, dextra demissa, sinistra tridentem tenens, gladio, ut videtur, cinctus. In area numi ad d. est ψ litera, siue tridens, et circelli varii. Inscriptio, si quae fuit in sinistra numi area, euanuit.*
- N. 3. *Vir habitu barbaro, aduersus, anaxyrides persicas indutus, capillo crispo, d. elata annulum tenens; retro taurus stans, tituli nulli, sunt tamen in area, super tauri capite, globuli in figuram literae Α dispositi. Marginem ambiunt globuli.*
- N. 4. Similis, in paucis varians.

Omnes hos numos, siquidem ad eandem anticam spectant, cum in vno graecae literae, tum vniuersus habitus et typi, seriores esse Graecorum in Asia dominatione, manifestum est. Cum a numis re-

gum Parthorum s. Arsacidarum in hoc differant, quod vultus regis ad dextram spectat, qui in Arsacidarum numis constanter ad sinistram flectitur, nisi forte sit aduersus, quod in paucis occurrit; putem, hos numos cunos esse a regulo aliquo, quales plures fuerunt, aut Seleucidis subdito, aut Persis Sassanidis. Quod posterius vt magis pro vero habeam, suadet fabricae in his numis ratio, quippe nec figurae turgent, vt in Graecis et Parthicis numis, sed planae sunt ac depressae, et aream ambit globulorum limbus, in quo vtroque conueniunt cum Sassanidarum numis. Caeterum ad quam regionem spectent, aut quo referatur taurus adstitutus, ad religiones domesticas, aut ad regionis fertilitatem, aut aliam rem symbolice indicandam, in medio reliquendum est.

## II. Numi Graeci, f. Characeni.

Reliquos quatuor numos graeci commatis esse, e typis et modulo, sunt enim Tetradrachma, satis apparet. Horum tres, inter se simillimi, in *antica caput regis imberbe, diadematum exhibent. In auersa est Hercules sedens ad s. clauam dextra elatam in genu reponit, sinistra sedili, quod ornatum est, innititur.* In duobus, qui eiusdem regis esse videntur, et melioris fabricae, a tergo Herculis apparent graeci tituli vestigia, detrita tamen et obscura; in altero fortasse (N)AΣΣIΣ in altero --ΛΣIΣ. In sinistra area parte sunt literae peregrinae octo.

*Tertius* rudioris fabricae, aliquantulum diuersum vultum praefert; in postica vix ΣIΣ distinguas; literae peregrinae diuersae sunt, et IV. tantum vel V. numero.

Iam si quaeras, cuiusnam regis sint hi numi, haud facilis est responsio. Seleucidarum non esse docent tituli graeci reliquiae, e quibus nullum nomen his regibus vsitatum prodit. Equidem primum putabam, inesse fortasse Seleuci nomen per compendium scriptum, ΒΑΣΙ.ΣΕΛ. quanquam insolitum hoc esset, cum in om-

nibus regum Syriae numis *Βασιλεως* titulus plene perscriptus occur-  
rat, iis etiam, qui a ciuitatibus Phoeniciis cusi sunt. Sed repugna-  
bant literarum ductus. Etenim in vno, qui *ΑΣΙΣ* habet, ea quae  
sequuntur, quantum distingui potest, non continent *E* aut *EA*. in  
altero litera, quae *ΑΣΣΙΣ* (quod mihi legere videor) praecedit,  
minime est *B*, sed potius *N*, adeoque nec nomen nec titulum reg-  
is Selencidae exsculpas. Nec in alia regia stirpe nomen occurrit,  
cui aptari possint haec literae. Sperabam porro in literis peregrinis  
latere saltem vrbis nomen, vt saepe in numis vrbium Syriae et  
Phoenices sub Seleucidarum imperio cusi, additur Loodioeae, Tyri,  
Sidonis nomen. Verum ea spes decolauit; neque enim diu et saepe  
tentanti mihi contigit, hos ductus, quos Phoenicios putabam, extri-  
care et nomen aliquod extundere; vt nunc dubitare incipiam, an  
sint phoeniciae literae, aut potius ignotum aliquod, detortum e  
phoenicia, scripturae genus. Non tamen despero fore, vt aliquis  
veteris scripturae gnarus, comparatis ipsis numis, in quibus lucidius  
singuli ductus comparent, eorum lectionem eruat. Destitutis igitur  
a scriptura numorum facem fortasse praeferet ipse typus. Herculis  
typus satis frequens in numis regum Macedoniae, ad innuendam  
stirpis ab Hercule per Cranaum ductae originem. Igitur modo  
Caput Herculis, leonis exuuiis tectum exhibetur, modo claua aut  
arcus. Etiam Seleucidae et alii, qui regiones ab Alexandro occu-  
patae arripuerunt, hunc typum seruabant. Est Hercules sedens,  
clauam humi sistens in numis Antiochi II. *a*) porro in numis Etyhy-  
demi, Bactriae regis, Hercules sedens in saxo, clauam dextra ela-  
tam in aliud saxum demittens *b*). Denique in numis Tiraei, et Er-  
tabani regulorum, quos primus vulgavit Viscontius, in Iconographia  
graeca *c*), ac in numis Adinnigai et Monnaesis, quos alii ad Par-

*a*) Vid. Frölich Tab. IV. 1. Visconti Iconogr. gr. T. 46. 5. vbi tamen  
leg. Antiochus II.

*b*) Pellerin additions p. 95. Visc. l. c. 11.

*c*) Vol. III. 179. 187.

thos, Eckhelius typi similitudine ductus, ad Bactrianos reges referebant, est Hercules cippo siue arae insidens, clauam elatam dextra in genu demittens, plane vt in nostris. Iam cum Tiraeus a Luciano *d*) memoretur tertius post Hyspasinem Characis et locorum vicinorum rex, valde probabilis videri debet Visconti sententia, omnes hos numos, inter se simillimos, ad hanc regum *Characenes* stirpem spectare, quae sententia nouis etiam argumentis confirmari posse videtur.

Charax oppidum, vt refert Plinius, ab Alexandro conditum fuit ad Tigridis ostium, in intimo sinus persici, et Alexandria dictum *e*). A fluminibus expugnatum Antiochus (primus) restituit, iterumque infestatum Pasines, rex finitimorum Arabum, oppositis molibus, vnde *Σπασίνων χαραξ* dicta. Factum hoc videtur sub Antiocho II. quo, bellis Aegyptiis distento, Bactri, Parthi aliique trans Tigrim populi defecere. Non mirum igitur Spasinem quoque, regionis istius, cuius, teste Iuba, satrapes erat Antiochi nomine *f*), dominium arripuisse. Durauit hoc regnum sub Parthis, prolatis finibus, quippe, teste Plinio, Forath oppidum Nabataeorum XII mill. passuum a Charace distans, Characenorum regi paruit *g*). Regum series e Luciano et numis a Viscontio adductis quodammodo concinnari potest.

1. *Spasines*, s. *Hyspazines*, Plinio *Pasines*, circa A. Seleuci 60. V. C. 502. a Chr. 252.

2. ignotus.

3. ignotus.

4. *Tiraeus*, (ap. Lucian. *Τηραϊος, Τεραϊος, Τειραϊος*) codices enim variant, in numo *Τιραϊος*. XC annos natus obiit.

---

*d*) in macrobiis §. 16.

*e*) Plin. H. N. VI. 31.

*f*) cf. Plin. l. c. qui, nescio cur, hoc falsum esse putat.

*g*) Plin. H. N. VI. 32.



Longo intervallo post

5. *Artabazus*, a Tiraeo septimus, sexto et octogesimo anno, a Parthis deductus, regnum tenuit, secundum Lucianum. Nummum eius laudat Viscont. l. c. p. 184. n. 2.
6. *Adinnigaus*, in eius numo est epocha ΤΑΓ. 333. Sel. p. C. 22.
7. *Monnoeses*, in numo ΥΚΒ. 422. Sel. p. C. 111.
8. *Artapanus*, (s. Artabanus) cuius numum, sine epocha, protulit Viscontius. Vultus iuuenilis, imberbis, impedit, quo minus hunc pro Artabazo habeas, supra nominato.

In omnibus his numis est βασιλευς — σωτηρος, quod cognomen utique haud absimile vero est, primum Spasino, ob emunitam urbem tributum, a successoribus retentum esse, quod vult Viscontius. Potuit tamen ab aliquo successorum primum assumi, ob causam nobis incognitam. Herculem typum delegerunt, quod is typus tum frequens esset in numis Antiochi II. Graecis titulis vsos esse non mirum, in regione Graecis abundante, in qua in propinquo essent Seleucia, Apamea aliaeque vrbes graecae, incolis et commerciis florentes. Caeterum ex ipsis numis apparet, sensim defecisse cultum et artes Graecorum, seriores enim plane vt Parthici, minus affabre facti sunt, et scriptura barbariem spirat.

Ad hos igitur reges referendos esse puto tria haec Tetradrachma, praecedentibus simillima adeo, vt etiam modulo exacte conueniant cum Tiraei aliorumque numis apud Viscontium. Seleucidarum enim et Bactriae regum tetradrachma moduli sunt haud parum maioris, et cum illa artificio praestent, prioribus regibus tribuerim, ante Tiraeum. Duo tamen sunt, quae dubitationem iniiicere possint. *Primum* cultus regis plane graecanicus. Sed si Spasines satrapa fuit Antiochi, quidni putemus eum et proximos successores mores cultumque Graecorum secutum esse? Ac fortasse vultus non est regis Characeni, sed ipsius Antiochi, a primis huius stirpis regulis honoris et commerciorum causa in numis retentus.

Serius,

Serius, auctis Parthorum rebus, videntur hi reges ad Parthorum mores se composuisse. Igitur capitis cultus est Parthicus aut Medicus in Tiraei et Adinnigai numis, et ipsa nomina Monaesis, Artabazi, Artapani, Persica sunt; siue ii haec sumserint, in gratiam regum Parthorum, siue gente Persae fuerint, a Parthis constituti, vt vidimus, e Luciano, Artabazum ab his in regnum deductum. Alterum dubium facit titulus et scriptura diuersa ab ea, quae in reliquis numis apud Viscontium occurrit. Deest vtique  $\Sigma\omega\tau\eta\rho\varsigma$  titulus; sed potuerunt hi numi a principe cusi esse, qui hunc titulum nondum gessit.  $A\Sigma\Sigma I\Sigma$  istud aut  $A\Sigma I\Sigma$ , quod in numis est, nomen arabicum innuere videtur. Non quidem comparandum cum  $\mu\iota\tau\epsilon$ , *potens*, nomine satis frequenti; id enim  $A\zeta\iota\zeta\omicron\varsigma$  scribitur graece *h*): sed  $\text{اصبص}$ , quod *tremorem* significat,  $\text{اسبب}$  *fundamentum*, *principium*,  $\text{اشبش}$  *agilis*, *promptus*, arabicum nomen suppeditant, et istis literis commode scribuntur. Quod inscriptio literis  $\epsilon\gamma\chi\omega\rho\omicron\iota\varsigma$  adiecta est, factum esse potest, vt popularibus Arabibus commendarentur hi numi. Omissa haec, postquam confirmato regno, regis nomen et  $\Sigma\omega\tau\eta\rho\varsigma$  titulum sumsissent. Sunt omnino in veteribus numis multa, quorum nos, tot seculis seriores, rationes reddere nullo modo possumus.

Contra Eckhelium, qui hos numos ad Bactrianos reges retulerat, bene iam disputauit Viscontius *i*), recte monens, nec  $\Sigma\omega\tau\eta\rho\varsigma$  nomen in certis Bactrianorum numis apparere, et typos diuersos esse, nec regnum Graecorum in Bactriana ad ea tempora, quae numi indicant, p. Chr. 22. 111. perdurasse. Quibus addo hoc. Cum regnum Graecorum in Bactris, conditum a. Sel. 58. circiter, euersum esse constet circa a. Sel. 180, ante Chr. 131. durauit illud annos fere 122. Iam intra hoc spatium regnasse feruntur VII. vel

*h*) v. Iosephi Antiq. XX. 7.

*i*) Iconogr. gr. Vol. III. p. 182 sq.

VIII. reges, si *Helioclem*, a Viscontio probabiliter additum, et *Apollodotum* admittas *k*). In quos si distribuas annos 122. singulorum regnum erit XV vel XVI annorum, quod sane est valde breue; cum XX annos et ultra in regum serie singulis regnis tribuenda esse constet. Igitur Tiraeo, Adinnigao, Monnesi, Artabano in hac regum serie vix locus est. Accedunt nomina barbara, a regibus Bactrianae Graecis plane aliena. Sed de numis Characenis satis dictum; ad certiora accedamus.

### III. Numus Demetrii, Indiae regis.

Quartus horum numerum, insignis raritatis et in suo genere vnicus, est Tetradrachmon integerrimum magni moduli, egregiae fabricae, cuius pars antica *caput viri iuuenis exhibet, diadematum, elephantis exuuiis tectum, corpus chlamyde opertum*; in Postica est *Hercules iuuenis stans, dextra coronam capiti imponens, sinistra clauam erigens dependentibus leonis exuuiis*. Adscriptum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, et monogramma literas PKA. continens.

Numus hic, quamuis cum numis Seleucidarum arte et habitu omnino conueniat, tamen nec ad Demetrium I. aut II. nec ad Demetrium Poliorceten spectare posse, multa et grauia argumenta mihi persuadent.

---

*k*) De *Heliocle*, cuius numum exhibet Viscontius Tab. 51. 13. nullum mihi est dubium; est enim fabricae et moduli simillimi. De *Apollodoto* dubitare possis, quem solus Periplus auctor (p. 27. Huds.) memorat, "*Barygasis Indiae veteres drachmas commeare eorum, qui post Alexandrum regnarunt, Apollodoti et Menandri*," incertum relinquens, an iste ante Menandrum in Bactris regnauerit, an in India alicuius prouinciae dominus fuerit, ante Indiae partem a Menandro occupatam. Strabo, loco mox laudando (Lib. XI. p. 516.) Menandrum cum Demetrio Euthydemii filio componit, Apollodotum ignorat.

*Primo* vultus regis cum nullo horum regum conuenit, sed propria quaedam habet lineamenta: frontem prominentem, os ad seueritatem compositum. *Deinde* elephanti exuuiæ nulli eorum conueniunt. Satis frequenter occurrit singulare hoc capitis ornamentum in veterum numis, sed ita, vt Africam, terram huius ferae feracem, aut imperium Africae designet, ducto typo ab Hercule leonis exuuiis tecto. Primus id exhibet Agathoclis Syracusani numus, in memoriam victoriae in Africa reportatae *l)*. Tum numi Ptolemaei IX. et matris Cleopatrae *m)*, et Cleopatrae Aegyptiae, Alexandri I. Seleucidæ vxoris *n)*. Ex his imitati sunt Alexandrini, qui in numis, a Claudio inde, Urbis suae aut Africae genium ita pingunt *o)*. Poterat hic typus ad Indiam, elephantis abundantem, traduci, et Indiae victor huius ferae spoliis ornari; sed nec in Africa, nec in India a Demetrio Syriae rege res gestas esse, quae huic ornamento locum darent, notum est. Minime huc spectant elephantorum formae aut capita, quæ utique occurrunt in numis Seleucidarum Antiochi I. Seleuci Callinici, Demetrii I. His enim longe aliud innuitur, scilicet elephantorum in exercitu copia, vt similiter equi capite, in iisdem numis, equitatus vis. *Denique* typus auersæ in nullo Seleucidarum numo obuius. Herculem sedentem vidimus in numo Antiochi II. Apollo et Iupiter frequens est; at noua prorsus imago Herculis stantis, coronam sibi imponentis, et si recte video, est ea e loti floribus contexta.

Haec omnia nos eo ducunt, vt alium *Demetrium* circumspiciamus, atque hunc nobis offert historia, *Indiae* regem. Est is Euthydemus Bactriae regis filius, quem post Menandrum Indiae partem

---

*l)* Eckhel. D. Vett. Num. I. 261.

*m)* Ib. III. 49.

*n)* Ib. II. 228. Frölich Annal. Tab. VIII. 4.

*o)* Eckhel. IV. 41.

occupasse Strabo refert *p*). Cum pater Euthydemus diuturnum cum Antiocho III. bellum gessisset, Demetrius, ad Antiochum missus, pacem obtinuit, desponsata sibi insuper filia regia, quod factum ante Antiochi cum Romanis bellum, circa a V. C. 548. Seleuc. 107. Post Euthydemum in Bactria regnat Menander, pulso, ut videtur, Demetrio, qui contra Indiae prouincias occupat, et validum regnum condit. Sed rerum ab ipso gestarum exigua est memoria, testatur tamen eam Demetrias vrbs Arachosiae *q*), et bellum cum Eucratide Bactriano, Euthydemii successore gestum, quem per V. menses, a Demetrio Indorum rege obsessum, tandem victorem abiisse, et omnem fere Indiam occupasse, Iustinus refert *r*). Hic igitur est finis rerum Demetrii, qui quo tempore contigerit, probabiliter doceri potest. Scilicet Eucratides, secundum Iustinum *s*), eodem ferme tempore, quo in Parthis Mithridates I. regnum iniit. Is autem regnauit ab a. inde V. C. 580. Sel. 139. post hunc igitur annum cessauit Demetrii regnum.

Ad hunc Demetrium si referas numum nostrum omnia lucent. Elephantum exuuiae regem innuunt Indiae victorem, quae huius ferae est feracissima, et olim longe plures aluisse videtur. Multi enim reges, memorantur qui quingentos, septingentos, mille, ad nouem millia haberent ad bella exercitatos *t*), ut vix alia fera ad indicandam hanc regionem magis propria videri posset. Porro Hercules iuuenis, coronam sibi imponens, aptissime regem victorem pingit. Frequentatus iam Hercules, ut supra dictum, in Alexandri eiusque successorum numis; sed hic nouo habitu sistitur. Si recte opinatus

*p*) Strabo XI. p. 516. τα μεν γαρ αυτος (Μενανδρος), τα δε Δημητριος, ο Ευθυδημου υιος, του Βακτριων βασιλευς. —

*q*) Isidor. Charac. p. 8.

*r*) Lib. XLI. 6.

*s*) l. c.

*t*) Cf. Plin. H. N. VI. 22. 23.

sum, loti flores esse quibus caput sibi reuincit, etiam hoc ad Indiam spectat. Non reticebo, aliquando mihi visum Dionysum hic sisti, cum Heroulis armis, allusione facta ad Dionysi in Indiam expeditione; sed attentius consideranti pectus torosius haud dubie videbitur Hercules.

Nec negligendum *monogramma* in area numi, quod literis PKA constare supra dixi. Has si pro numerorum notis habeas, annus prodit Seleucidarum 121. qui est V. C. 561. Antiochi Magni 33. quo ipso anno Demetrius debuit in India regnare. Etenim quum a. Sel. 107. vt vidimus, bellum Antiochi cum patre Euthydemo composuisset et, a Menandro, patrio regno exclusus, nouum in India condidisset, circa a. Sel. 140. cum Eucratide, Menandri successore bellum initio prosperum, deinde infelix gessit. Est ergo spatium 33 annorum quo regnauit et a. 121. in regni florem incidit. Non mirandum Seleucidarum epocham hic iam comparere; reperitur illa iam in numis X annis anterioribus Antiochi M. a. 112. 115. Magis offenderit, annus literis monogrammatice connexis notatus, cum alias epocha literis separatis soleat indicari. Sed non caret exemplo res, etenim in numo Antiochi Sidetis s. VII. manifestum est ΓΠΠ. h. e. a. Sel. 183. connexis eodem modo literis *u*). Quod serius factum in Syria, quidni maturius fieri potuisse putemus in India, inprimis cum eam scribendi rationem elegantia et spatii angustia artificii commendaret.

Denique obseruandum hunc numum laminae magnitudine apprimè conuenire cum numis Regum Bactriae, quam consentaneum est, Demetrium, e Bactria progressum, seruasse. Seleucidarum tanti moduli numum non vidi.

Secundum ea, quae adhuc disserui, noua in posterum genera addenda erunt Eckheliano numerorum veterum recensui, regum Cha-

*u*) ap. Visconti III. Tab. 47. 10.

racenorum ac Indiae. Regum Indorum non dubito fore ut plures reperiantur, siue in ipsa India, in qua olim, teste Peripli auctore, Barygasis imprimis, frequentes erant Apollodoti et Menandri numi *x*); siue in Bochara, Sogdiana veterum, per quam s. adquam, nisi antiquis temporibus, certo sub Semanidarum imperio, qui seculo IX. et X. harum regionum domini, Bocharum regni sedem fecerant, merces Indicae perferebantur, qua via fortasse noster quoque numus ex India huc peruenit.

### Corollarium.

In memoriam reuocant hi numi Macedonicae aetatis alium nuper a viro eruditissimo, cui in iis, quae ad palaeographiam spectant, summa est auctoritas, pro numo *Antigoni*, Asiae regis, habitum. Est is ex iis, qui regem habitu persico, quadrigis vectum exhibent, altera nauem, cum Astartes imagine, remigibus instructam; ab utraque parte sunt literae phoeniciae. Harum interpretatione ductus Bellermannus vir doctissimus, ad Basi oppidum Hispaniae in Bastulis retulit, perillustris Kopp *y*) ad Antigonum, inscriptionem vtrius partis iungens  $\text{בבן מלך}$  *per hoc* (classem scilicet, nam  $\text{בבן}$  *nauis* subscriptum est) *est regnum meum*, quibus verbis Antigonum victoriam naualem, filio Demetrio duce ad Cyprum re-

*x*) Adscribo locum ex Huds. geogr. min. p 8. Αλεξάνδρος, ὁρμηθεὶς ἀπο τῶν μερῶν τούτων, ἀχρι τοῦ Γαγγού διήλθε, καταλιπὼν τὴν τε Διμυρικὴν κ. τὰ νοτὰ τῆς Ἰνδίας, ἀφ' οὗ μεχρι νῦν ἐν Βαρυγαζαῖς πάλαι προχωροῦσι δραχμαὶ, γραμμασίῳ Ἑλληνικοῖς ἐγκεχαράγμεναι, ἐπισημα τῶν μετ' Αλεξάνδρον βασιλευσσοτῶν Ἀπολλοδοτοῦ καὶ Μενάνδρου. *Alexander ex his (Bactriorum) regionibus profectus, usque ad Gangem descendit relinquens a latere Limyricam (Malabaricam oram) et Australia Indiae, vnde usque ad hunc diem in Barygasis veteres prodeunt (commeant) drachmae, literis Graecis inscriptae, typo eorum, qui post Alexandrum regnarunt, Apollodoti et Menandri.* — Mirnm eum non nominare Eucratidem, quem mille vrbes in India tenuisse Strabo refert L. XV. 686.

*y*) Bilder und Schriften der Vorzeit. II. p. 241 sq.

portatam, innuisse. Ingeniosum hoc profecto, et probabilius ista ratione. Quippe Basi, ignobile oppidum et Ptolemaei aetate delatum, argenteos tanti moduli et tanta copia proeudisse, nullo modo verisimile est, ne moneam typum istum a numo Hispanico prorsus abhorrere. Sed in illustrandis antiquitatis monumentis id imprimis cauendum, ne, si quod obuenerit, illud singulare et in suo genere vnicum censeamus, et coniecturis indulgeamus, vnde non possunt non interpretationes existere, ratione historica destitutae. Circumspicienda sunt similia monumenta et in auxilium vocanda historiae et antiquitatis memoria, quod in re numaria imprimis necesse esse norunt periti. Non vnicus est iste numus sed plures noti sunt eiusdem aut similis typi, quorum specimina exhibui in Tab. II. Commentationi II. de numis Persicis addita, e quibus satis luculenter apparet, esse eos Phoenicios numos, sub Persarum dominatione cusos. Eos, qui Astartem in puppe gerunt, Sidoniorum esse probabile est; quippe apud hos insignis erat Astartes cultus. Antigonus, Asiae regem, habitu barbarico se ipsum in numis exhibuisse, a moribus Graecorum plane abhorret. Quippe Graeci, gens cultior, quocumque locorum habitarent, mores, sermonem, cultumque Graecanicum retinuerunt, vnde Senecae adhuc aetate in media Asia florebat graecus sermo z). Reges barbaros sermonem et cultum Graecanicum adfectasse docent numi Parthorum, Thraciae, Bospori, Ponti, Bithyniae, Cappadociae, imo Mauritaniae, et fortasse Characenes, secundum ea, quae supra disserui; Graecum regem habitu barbaro in numis nemo adhuc conspexit, nec simile quid est in notis Antigoni numis. Si dicas, numum in aliqua vasti imperii vrbe proeudum esse in honorem et gratiam Antigoni, eamque regi Graeco Persicum habitum tribuisse; obstat numi titulus,

---

z) Seneca consol. ad Heluiam Cap. VI. Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus Graecae vrbes? quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Atheniensis in Asia turba est.



qui, ex ipsius viri doctissimi interpretatione, regem ipsum loquentem inducit, adeoque regis iussu se eusum profitetur. Sed hic ipse titulus, an recte explicatus sit, valde dubito. Primum enim tituli, per utramque numerorum aream continuati, in antiquioribus numis, quantum memini, non occurrunt; in Romanis Imperatorum utique frequentantur. Deinde, tametsi hoc in his numis factum esse sumas, contra omnem morem est, titulum in parte auersa incipere, in aduersa, quae haud dubie est ea, quae regis imaginem exhibet, continuari. Denique in hoc numerorum genere literae nauigio superscriptae numerum indicare videntur, cf. nostram Commentat. II. p. 5. (Commentatt. rec. Vol. I.) et tabulam I. ei adiectam Num. VII sqq. Alterius partis literas a viro perillustri recte lectas esse nullus dubito, fortasse מלך עמון efferendas, vt *regem suum* salutauerit in hoc numo ciuitas phoenicia, quod in Artaxerxem Ochum ex Aegypto cum exercitu victore reducem bene conuenire nemo diffitebitur.

---

*I. Numi barbari p. 4.*




*II. N. graeci p. 5.*



*pars aversa.*

*III. Demetrii p. 10.*





---

DE  
ORIGINE AC FIDE  
ANTIQUAE PERSARUM HISTORIAE  
QUALIS A SCRIPTORIBUS ORIENTALIBUS TRADITUR,  
COMMENTATUR  
T. H. CHR. TYCHSEN  
LECTA COMMENTATIO D. III. APRILIS A. MDCCCXXIV.

---

Cum omnino populorum origines et primordia antiquitatis tenebris obvoluta sint, tum etiam historia veterum Persarum, in qua tamen hoc singulare est, quod cum in aliis populis desint rerum gestarum notitiae, hic non tam inopia laboremus quam copia. Persarum res memorant Hebraei, Graeci, Romani, Armeni et ipsi denique Persae, sed inter se parum consoni. Ac Graecorum quidem et Hebraeorum de rebus Persiae narrationes haud difficulter conciliari possunt; quae autem scriptores Arabes ac Persae Mohammedani tradunt, adeo ab istis discrepant, ut plane alius populi historiam narrare videantur. Quum enim Graeci et Hebraei primum apud Assyrios et Medos fuisse Asiae imperium referant, tum sub Cyro ad Persas translatum, praetereaque expugnatis variis regnis sensim in eam magnitudinem excreuisse, quam sub Cyri successoribus habuit, quod sane rationi est consentaneum; scriptores orientales contra vnum Persicum regnum, ab initio inde omnem fere Asiam ab Indo vsque ad Euphratem et ultra complexum, deinde sub Feridunis filiis in tria regna, Persicum, Scythicum et occidentale, siue Iran, Turan et Khauer diuisum nobis sistunt, porro alios

reges, in quibus nec veteres Assyrios, nec Medos, quales per Graecos nobis innotuerunt, Persas vix vnum et alterum agnoscas, aliam denique rerum gestarum seriem, in quibus multa incredibilia et manifesto fabulosa. Difficilis imprimis chronologica ratio. Reges Pischdadii, vndecim numero, per duo aut tria (variatur enim) annorum millia regnant, Keauii octo plus septingentis annis; et est Heros Rostemus, qui sexcentos annos se vixisse dicat. Minor est discrepantia, ingens tamen, in Alexandri et Seleucidarum Parthorumque historiis, ab iis quae veteres tradiderunt, in summa rei haud dubie vera. Sassanidarum denique historia, vtpote recentior, cum Graecorum Romanorumque narrationibus vteunque conuenit.

In hac historiae Persicae conditione haud mirum in diuersa abire virorum doctorum iudicia. Alii, Graecorum aetate priorum et coaenorum auctoritatem iis, quae a scriptoribus Muhammedanis, pluribus seculis iunioribus, sine vlla testium fide referuntur, longe praefereendam esse censent. Alii contra Graecos reiiciunt, quorum fidem eo eleuare student, quod nec sermonis Persarum gnari, nec in ipsa Persia versati, e mera fama, a Graecis in Asia minori accepta, narrationes suas concinnauerint. Multa quoque eos narrare parum credibilia. Plus fidei tribuendum domesticis scriptoribus, et rerum patriarum bene gnaris. Persarum imperium vsque ad Arabum inuasionem inconcussum perstitisse; Graecorum enim breuem dominationem nihil mutasse; Arsacidas autem non externos fuisse, sed Persas genere, adeoque institutis, religionibus, sermone, moribus non mutatis, seruatam esse in ipsa gente constantem historiae traditionem, et rerum gestarum famam. Sub Sassanidis denique historias literis consignatas esse, adeoque Arabes rerum gestarum memorias reperisse satis multas, e quibus historiam veterum Persarum conderent. Qui liberalius agunt, Graecos non omnino falsam tradidisse concedunt; veram esse quadantenus vtramque rationem, tam Graecorum, quam orientalium scriptorum. Hos enim ea tantum tradidisse, quae intra regni fines gesta sint; Graecos externa bella

in occidentalibus regni prouinciis, in hoc tamen falsos, quod bella cum Aegyptiis, Graecis, Scythiis etc. per satrapas gesta pro rebus ab ipsis regibus gestis habuerint. Orientalibus in rebus patriis, ad quas cognoscendas ipsi pluribus opportunitatibus vterentur, fidem habendum; sed nec hos illustrandis Graecorum narrationibus adhibendos, nec Graecos vice versa, cum in argumento plane diuerso versentur. Alii comparare inter se et conciliare diuersas has, in primis de antiquissimis rebus narrationes conati sunt, ita vt, quae Orientales narrant de Pischdadiis et Keianis, conferant cum Graecorum de Assyriis, Babylonis, Medis et primis Persarum regibus traditione non minus obscura et incerta. Magno cum acumine et eruditionis apparatu in hanc arenam descenderunt Anquetilius, Richter, Volneius, Malcolmus et nuper ingeniosissimus Görres, quem vellem dilucidius et simplicius, nec tanta orationis copia obuolutam, sententiam suam exposuisse a). Sed quam parum succedat haec diuersissimarum narrationum compositio, vel ex eo apparet, quod horum auctorum ratio inter se vehementer dissidet, et Feridun v. c. cum Phraorte Medo, cum Beletara Babylonio, cum Arbace varie comparatur, certo argumento, non minorem esse in rebus, quam in nominibus vtriusque traditionis discrepantiam.

Equidem nolo nunc quaestionem mouere, an praeferenda sit aut Graecorum aut Orientalium narratio, nec ea quae pro adstruenda orientalium fide adferuntur, sub examen reuocare, contra quae vtiq; multa moneri possint; nec nouo conatu narrationes componere, quae mihi quidem comparari posse minime videntur. Sed

a) cf. *d'Anquetil* memoire dans lequel on essaie de concilier les auteurs grecs — et ces auteurs avec les Perses sur les regnes — des Pischdadiens. — Mem. sur l'empire de Medes. Hist. de l'acad. des Inscr. Tom. XL. p. 346. 477. *Aug. Gottl. Richter* hist. Persarum antiquissimae cum Graecor. et Ebraeor. narrationibus conciliandae specimen Lips. 1795. 8. *Volney* Chronologie d'Herodote p. 282 sqq. *Malcolm* History of Persia Vol. I. *Görres* das Heldenbuch von Iran. Berlin. 1820. 8. Vol. I.

cum orientalium scriptorum fautores horum narrationes e domestica traditione non interrupta fluxisse affirmant, e qua et libris Pehleicis hausisse Thaberitam et Ferdusium celeberrimi carminis auctorem, recentiorum historicorum fontem; visum est paullo accuratius inquirere, quatenus haec recte statuantur, quae fuerit historiographiae Persarum origo et conditio, quid denique fidei ac auctoritatis tribui possit istis traditionibus? Quod commodissime fiet, si secundum periodos, quas historia regni indicat, qualis fuerit historiae et traditionis persicae ratio consideremus; primum antiquissimo tempore, ante Alexandrum, deinde sub Graecis et Arsacidis, denique sub Sassanidis et Arabibus. In qua commentatione audienda, vestra **A. A.** indulgentia mihi roganda est. Sentio enim me in argumento lubrico et parum tractato versari, in quo difficile est obscuris lucem, incertis fidem addere, et argumentorum pondere alios ad assensum pertrahere. Expeditior res erat, si veteres Persarum libros historicos vt Basitan nameh, Jezdegertis vltimi Sassanidarum iussu scriptum, historiam Mansurii Samanidae iussu concinnatam, porro Arabes, Thaberitam et imprimis Hamzam Isphanensem in subsidium adhibere licuisset. Mihi, qui his omnibus destituor, coniecturis et probabilitate aliqua saepe res agenda, vnde haud semel de abicienda omni hac opella cogitavi. Hoc tamen dubitantem erexit et confirmavit, quod spero, non defuturum qui curas nostras perficiat aut corrigat, quod si fiat, mihi exoptatissimum acciderit.

#### I. ANTIQUISSIMA PERSARUM HISTORIA ANTE ALEXANDRUM M.

Antiquissimam Persiae historiam cum dico, eam intelligo, quae secundum Orientales ad Pischdadiorum et Keianidarum regna spectat, quibus conueniunt Assyriorum, Medorum et Persarum a Cyro inde imperia secundum Graecos. Quae in libris nuper repertis Desatir et Dabistan memorantur de Mahabadiorum dynastiis, ante Pischdadios per innumera annorum millia regnantibus, historica non esse,

sed seniorum sophistarum e Saphitarum secta commenta, mihi certe persuasum est, post ea, quae subtiliter et docte super his libris deseruit acutissimus Erskinius, in actis societatis literariae Bombaiensis, Vol. II. Iam apud Assyrios antiquissimus fuit literarum vsus, vnde Plinius: literas semper puto Assyrias fuisse. Memorantur literae et mandata regia Sennacheribi ad Ezechiam (Is. 37, 14.) et iam Zohaki apud Ferdusium. Annales tamen an habuerint, incertum; vnde enim ducta sint ea, quae Ctesias, Berosus et Abydenus multis seculis post tradiderunt historiae Assyriacae, Babylonicae, Medicae fragmenta et regum nomina, ignoramus. Regibus Persarum scribas adfuisse constat, qui mandata regia et singulas res gestas perscriberent *b*), vt, teste Herodoto, copiarum a rege inspectarum recensum. Eiusmodi literae et notitiae in archiuis Babylone, Susis, Ecbatanis *c*) seruatae largam historiarum materiem suppeditabant, et sunt hae sine dubio regiae membranae, διφθερασι βασιλικαι, e quibus Ctesiam hausisse Diodorus *d*) refert. Addit Diodorus in his res antiquas, e lege quadam, descriptas fuisse *e*), vt videatur annalium libros quosdam innuere. Similiter in libris Iudaeorum laudantur *f*) liber *memoriarum veterum regum*, et *liber memoriarum* (Xerxis regis) addito: דברי הימים qua voce Iudaei annales designare solent. Sed cum hoc loco ea, quae rex legi sibi iubet, res sint ab ipso gestae, apparet non annales innui, sed *acta diurna*, memorabilia regis, et videtur Diodorus eandem rem innuere, minus accurate locutus. Erant igitur haec scripta non libri aliis scripti et a vulgo lecti, sed memoriae in regis thesauris adseruatae, et tametsi ex iis annales continuos factos esse statuas,

*b*) Esther III. 12. 8, 9. Herod. VII. 100. VIII. 90.

*c*) Esr. VI, 1.

*d*) Bibl. hist. II. c. 32.

*e*) Εν αἰς (διφθεραις) οἱ Περσαι τὰς πάλαιας πράξεις κατὰ τινὰ νόμον εἶχον συντεταγμένας.

*f*) Esr. IV. 15. סֵפֶר הַזְּכוֹרֹת דְּבָרֵי הַיָּמִים. Esth. VI, 1.



hi nihilo magis in vulgus emanabant, nec apographis propagabantur. Everso igitur regno haec historiae subsidia interierunt sine dubio, vt similiter factum in aliis regnis, Aegyptiorum, Iudaeorum, imo Romanorum. Quum ne sacros quidem Zoroastri sui libros Magorum validus ordo et auitarum religionum tenax ab interitu vindicare potuerit, quomodo putabimus archinorum thesauros seruatos fuisse, quos deleto regno nemo curaret? Ex annalibus igitur et regum actis vix quidquam in historias orientalium, nullis seculis post scriptas, potuit deriuari. Omnis rerum gestarum notitia in memoria et ore hominum versabatur, adeoque variabat saepe, vt solet omnis traditio. Herodotus quidquid de Persarum rebus antiquis scribit e narratione Persarum peritiorum hausit *g*), quae de Cyro iam tum valde variabat *h*). Atque ipse Ctesias, praeterquam quod per sedecim annos in regia versatus multarum rerum oculatus testis fuit, alia a Persis, qui ipsi vidissent, se edoctum esse dicit. E quibus apparet, ea, quae a Graecis tradita habemus, famam vtique esse, in multis, vt rei natura fert, vagam, narrando fortasse variatam et auctam, sed antiquam, ex parte rebus coaeuam, et ab ipsis Persis acceptam. Mireris profecto esse qui, ad eleuandam Graecorum fidem, asserant, Graecos nec Persica calluisse, nec ipsam Persiam adiiisse; cum in frèquentissimo vtriusque populi commercio et interpretes nullibi deessent, nec dubitandum Persarum plurimos graeca intellexisse, Graecorum denique multos in Persia, in aula regia versatos esse constet, vt Democedem, medicum Darii, Histiaeum Milesium, Pisistratidas, Gillum Tarentinum, Sylosonem Samium, alios *k*). Non deerant igitur Graecis res Persicas noscendi subsidia satis certa ac opportuna. Iam compara cum his Orientalium de antiquitate Persica narratio-

*g*) Herod. I. 4. 2-5. III. 1-3.

*h*) Ib. I. 95.

*i*) v. Ctesiae Persica c. 1.

*k*) Herod. III. 129 sq. 138. 140.

nes, seculo epochae nostrae decimo scriptis consignatas. Fac servatam esse in Persia aliquam antiquarum famam, quantopere debuit illa per XII. seculorum decursum immutari et obscurari imo evanescere! Nulla stabilis est rerum fama, quae solâ hominum memoria continetur, nullo scripturae subsidio confirmata. At veteres Persae literis operam non dabant, libros nullos scribebant, nec usquam libri historici a Persis conscripti ante Sassanidas sit mentio. Igitur narrationes ex ore Magorum XI aut XII. seculis seriorum collectas praefereamus famae antiquae a Graecis traditae, quae in summa rei vix potest non vera esse?

Sed propius considerandum est orientalis traditionis argumentum. Primos quidem reges Pischdadios omnes fatentur mythicos esse. Est *Keiumers* pellibus vestitus, primis hominum necessitatibus providens, vnde ab Arabibus pro Adamo habetur; *Huscheng*, agri colendi, animalium cicurandorum auctor, ignem reperit et opificia; *Tehmuraz*, gigantum victor, equorum domandorum auctor, literas docetur a geniis. *Gjemschid* perfecti regis exemplar, sapientissimus, geniorum princeps, institutorum ciuilium auctor, qui anni, mensium, festorum rationem describit. Idem tamen, fastu elatus et a recto deflectens, a suis deseritur et a throno detruditur. Apparet istis describi hominum a prima feritate ad humanitatis cultum progressum, per regum nomina distributum. De *Gjemschido* eadem fere narrantur, quae de Salomone fabulantur Muhammedani. Hunc pellit *Zohacus*, exterus rex, impius, crudelis, qui post M. annorum imperium saevitiae poenas luit. Haec omnia multis fictionibus, audacibus saepe, exornata, ethici quid spirant, vt putes a philosophis reperta, a poetis tractata et ornata fuisse. Caeterum *Zohaco* designari externum imperium, Persis graue et inuisum (Assyriorum puta), facile largior, sed quantum historiae transluceat, res ipsa docet. A *Feridune* inde magis historica narrari videntur, et quis neget, iis inesse historiae veteris Mediae, Bactriae et Persiae fragmenta. Sed sunt haec adeo turbata, luxata, manca, vt nec

gentes, nec regum stirpes distinguantur, nec ipsum Persici regni conditorem agnoscas. Nomina saltem et seriem regum Persarum Gracis et Iudaeis coaevis innotuisse, dubitari nequit; at in ea serie, quam Orientales exhibent, duo tantum extremi cum his conveniunt. Ac attentius consideranti istas de Keianidis narrationes apparebit 1) contineri iis res singulorum tantum regum, non continuam regum seriem. Sunt enim octo reges, qui ultra septem secula regnando expleverunt, quod cum naturae repugnet, omissi esse debent reges, de quibus nihil memorabile narrari poterat. 2) Regum ipsorum res paucae narrantur, caeque plerumque satis tenuiter; longe copiosior euagatur narratio in rebus heroum exornandis vt, Sami, Zalzeris, Siaveschi, Esphendiari et imprimis Rustemi, qui per sexcentos annos regum et regni columnen statorque celebratur. Haec viuiddissimis coloribus pinguntur et miris figmentis et miraculis variantur, amores describuntur rel., vt facile videas, non historias narrari, sed fabulas Milesias, ad oblectandos hominum animos repertas et poetarum ingenio exornatas. In quo utique optandum, vt antiquiores scriptores conferre liceret, e quibus appareret, quis fuerit antiquior narrandi modus, quid Ferdusii debeatur ingenio. 3) Omnibus his narrationibus impressa sunt senioris aetatis vestigia, quae Sassanidarum et Arabum tempora produnt. Primum enim regum nomina in recentiorem, molliorem formam deflexa sunt, vt Chosru, pro antiquo Coresch, *Κυρος*; Dara, pro Dariavesch, *Δαριμβης*, quod Darii verum nomen fuisse Strabo 1) monet. Feridun apud Mosen Chorenensem est Rhodonay, Zohac Azdahac, quam formam adhuc habet Thaberita, Siavesch apud Masudium est Schiavekhsch, *شباوخش m*). Deinde prouinciae et vrbes iisdem fere nominibus adpellantur, quae sub Arabibus in vsu erant, vt Istakhr, Balch, Scham, Mesr. Gustaspes Persia profugus

---

1) L. XVI. 785. Cas.

m) Not. et extr. de Med. VIII. fol. 60. p. 159. ectypi singul. 28.

lugus, a Caesare, Romaeae rege excipitur, elephantis in proeliis utuntur etc. Quae omnia cum eam rerum faciem, qualis sub Sasanidarum et Arabum dominatione in Persia locum habuit, manifesto prodant, sequitur, non hic esse antiquam traditionem, sed narrationes rebus longe posteriores, et, si quid insit antiquae faemae, saepius narrando mutatas, a poetis exornatas, sub Arabum demum imperio in eam, qua nos utimur, formam redactas.

## II. HISTORIA PERSARUM SUB GRAECIS ET ARSACIDIS.

Graeci victo ad Arbelam Dario ante Chr. 331. initio omnem Persiam tenebant, deinde, post defectionem Parthorum, partes saltem. Rebellavit quidem Arsaces a. 256. sed, tenuibus Parthorum initiis, per integrum seculum Graecos in his regionibus praevaluisse constat. Conditae tum aut auctae graecae vrbes, in Media Laodicea, Apamea, Europus, in Margiana Antiochia, in Parthia Calliope, Hecatonpylos, in Babylonia potentissima omnium Seleucia, vel sub Parthis libertatis tenax; aliae in Bactriana et Mesopotamia, quo ex omnibus regionibus Graecos mercatus, opificiorum, artium causa confluisse credibile est. Quae res non potuit non magnas in Asia mutationes efficere. Graecorum sermo, mores, literae inter populos Asiaticos diffundi coeptae; quippe ita fert natura, ut gens cultior artes suas cum minus culto communicet. Vnde Seneca *n*) argute, ut solet: "Videbis gentes populosque mutasse sedem. Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus graecae vrbes? quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Atheniensis in Asia turba est." Igitur Parthi quoque, qui post Seleucidam Persiae dominabantur, ad Graecorum mores se conformabant, Seleucidarum fastum imitabantur *επιφάνους, Φιλοπατορος, Θεου*, et semper *Φιλελληνος* titulos sumentes, numos graecae inscriptos cudebant; et graeci sermonis peritos fuisse, docet hoc, quod acroasibus poeta-

*n*) Consol. ad Helviam c. 6.

*Classis Hist. et Philol. Tom. VI.*

rum Graecorum conuiuia interpolabant. Cum Crassi caput Orodi afferretur inter epulas cum Artavasde Armenio decantabantur forte Bacchae Euripidis; Artavasdes ipse tragoedias et historias graece scripserat *o*). Putes in aulis regum graeca in vsu fuisse, vt apud nos gallico sermone vtuntur. Non mirum in hac rerum conditione veteris Persiae historias et traditiones neglectas fuisse. Parthi enim, scythica gens, moribus et institutis a Persis diuersi, nec libros scribebant, nec vetera curabant. Multus in eo fuit ill. Vans Kennedy *p*) vt ostenderet, Arsacidas Persas genere fuisse, adeoque eorum imperium; vt nec Graecorum, nihil valuisse ad mores, religiones, instituta gentis mutanda. Sed fac Persas aut Bactrianos fuisse *q*), quamuis Strabo (d. XI. p. 515. Cos.) diserte Arsacem Scytham dicat, gentis tamen ipsius Turcicam. originem et scriptores testantur, et mores et regiminis forma declarant. In hac igitur veterum rerum famam seruatam esse, praesertim inter continua bella et ciuiles turbas, vix est probabile.

Arsacidarum historiam nos valde imperfectam habere satis constat, quippe nullus scriptorum veterum eam data opera persecutus est. Curiosus quidem erant Graeci rerum exterarum, et, patrefacta per Alexandri victorias Asia, fuerunt qui res Babyloniorum, Assyriorum, Medorum scriberent. Alexandri iussu annales chaldaicos graece versos esse refert aut fingit Moses Chorenensis *r*),

*o*) Plutarch. Crasso fin.

*p*) Transact. of the literary society of Bombay. Vol. III. p. 18.

*q*) Orientales etiam scriptores, quod non obseruauit vir doctus, ad veteres Persiae reges Arsacidarum genus referunt, scil. ad Ascham, fil. Asch., fil. Siavesch, filium Caicaus. *Masudi* indicateur, fol. 60. Notices et extr. VIII. Sed notum est, quid tribuendum sit eiusmodi genealogiis. Etiam Sassanidas ab Esphendiariis et Giemschidis prosapia deducunt, Samanidas a Behram Ghur, aut a Guderz duce Kai Chosru. v. Herbelot *Sassan*. Wallenburg notice sur le Schah nameh p. 44.

*r*) Hist. Armen. p. 23.

e quibus Maribam Catinensem, episcopum Syrum, descripsisse eam partem, quae Armeniae historiam spectaret. Sane quae ibi ex hoc libro excerpta sunt, desiderium operis non faciunt. Idem (p. 14.) *Arium* quendam et alios Chaldaicorum (Syriacorum puto), librorum interpretes laudat. Sub Seleucidis *Berosus* Babylonius Chaldaica scripsit, *Abydenus* Assyriaca et Medica. Parthorum res in bellis cum Seleucidis et Romanis obiter memorant Graeci et Romani. Constat tamen ex his, collatis Arsacidarum numis, qui testium fide dignissimorum loco instar habendi sunt, durasse Arsacidarum imperium sub XXX regibus per 484 annos, quem numerum iam Agathias prodidit s). Scilicet cum a. ante Chr. circiter 256. Arsacidarum initia ponenda sint, a post Chr. 226. quo coeperunt Sassanidae anni 484. effluerant. Dubia tantum sunt quorundam regum nomina, quippe in numis, testibus alioquin certissimis, omnes Arsacis nomine insigniuntur, raro addito proprio nomine.

Iam videamus, quid de Graecis et Arsacidis Orientales tradant. Primum de Alexandro nihil plane habent historici, sed ineptas fabulas, cum Callisthenis gestis Alexandri M. conuenientes, quarum plures excerpit Herbelotus voc. Escander, cf. Sainte Croix in libro erudito examen des anciens historiens d'Alexandre le grand ed. 2. 1804. p. 182 sqq. Antigoni et Seleucidarum res plane ignorant, etenim per omnem hanc periodum reges populorum regnasse aiunt, siue prouinciarum regulos, nullo tum Persiae rege. In his tamen eminuisse Aschcanios, ab Aschec اشك, Arsace genus ducentes, quibus successisse Asganios, ab Artabano inde filio Ascheg اشغ. Vtramque stirpem sub 20 regibus per 200 annos, aut ultra, (variati enim annorum numerus a 200 - 469.) regnasse. Ferdusius quidem 200 annos numerat, cum tamen ante eum Murdan Schah 469. indicasset; praeterea nihil nisi nomina se reperisse affirmat in libro

s) Histor. I. 4. cf. nostram Comm. IV. de numis vet. Persarum, fin.

regum quo vsus sit *l*). Et reuera Nomina tantum XX. regum exhibent, res gestas fere nullas, aut falsas. Nihil de bellis cum Seleucidis et Romanis, de Crasso victo etc. Inprimis mireris quod Mithridatis I et II s. Magni, Arsacidarum regni statorum, ne nomen quidem norunt, multo minus res gestas. Tiridatis loco, aut post eum, Saporem nominant, quo regnante Israelitas (Iudaeos) Zachariam prophetam occidisse. Tum Deus [sic iam Thaberita refert *u*)] Sapori potestatem super eos dedit, ita vt omnes caederentur et templum funditus euerteretur. Spectant haec haud dubie ad Pacori, Orodis (Arsacis XIV.) filii, 200 annis post in Iudaeam expeditionem, qua Hierosolyma capta, Antigonus rex factus *x*), sed nec tum Zacharias caesus, nec templum euersum. Vix dubito, haec addita esse a Thaberita, res, quas memoria teneret, diuersas male confundente, cuius confusionis occurrunt plura exempla apud Mohammedanos scriptores, malos chronologos, inprimis vbi de rebus antiquis et exteris loquuntur. Suspiceris eum nil nisi nomen reperisse, quod adiecta re ab eo gesta ornare conatus est.

Sed de regum nominibus pauca addenda sunt. Supra iam monui, non satis certa esse nomina regum Parthorum, a Veteribus tradita; quaedam tamen, quae aut in numis exhibentur vt Sina-troecis, Vononis, Artabani, aut historiis confirmata, vt Mithridatis, Bardanis, Orodis, Pacori, vltra dubitationem posita sunt. At horum apud orientales nullum occurrit. In aliis, vt Arsacis et Vologesis, molliorem formam habent, Aschec, Palasch, recentiori Persicae linguae accommodate. Plurima autem eadem sunt, quae regibus Sassanidis erant vsitata, vt Schabur, Bahram, Hormuz, Narsi, Firuz; quae res eorum fidem valde suspectam reddit. Putes ea

---

*l*) Narrationes et variationes in numeris scriptorum orientalium diligenter exposuit Richterus, in libro supra laudato.

*u*) Bomb. Transact. III. p. 28.

*x*) Ios. Ant. XIV. 21. B. Iud. I. 11.

temere posita esse, et e Sassanidarum historia ducta. Adeo sub Sassanidis interciderant Parthorum, peregrinae stirpis, memoriae, ut de regum nec numero nec nominibus constaret, cum Persae ac Arabes literis ea consignare cuperent; et ipse Ferdusius nil nisi nomina in horum regum se vidisse affirmat *y*). Apparet quam parum fidendum sit traditioni, nullo literarum adminiculo fultae. Alia nomina et XIV. saltem reges exhibet Moses Chorenensis, seculi V. scriptor, quae vnde hauserit, incertum *z*).

Singularem huius in historiis et temporum computo defectus causam memorat Masudius, quam is, quasi arcanam, nec vilo libro vulgatam, nec nisi eruditissimis Magorum cognitam promit *a*). Scilicet Zoroastrem in libro Avesta vaticinatum esse, post 300 annos magnam Persiae calamitatem imminere, religionibus tamen non deletis; post mille autem annos (ab eadem Zoroastris epocha numerandos) et imperium et religiones simul interituras. Iam inter Zoroastrem et Alexandrum spatium esse annorum circiter 300, post quos prima calamitas acciderit, religiones tamen saluae perstiterint. Cum autem Artaxerxes Babeci fil. (Sassanidarum stirpis auctor) rebus potiretur, 500 post Alexandrum anni effluxerant, adeoque 200 tantum anni supererant ad terminum fatalem M. annorum com-

*y*) از ایشان بجز نام نشنیده ام horum, praeter nomina, nihil audiui, امرو نامه خسروان دیده ام indicem tantum regum vidi.

*z*) Enotavit ea Vans Kennedy Bômb. transact. III. p. 50. Idem vir doctus regum Parthorum nomina a veteribus tradita in dubium vocat; nec enim ea, si Artabani, Chosrois et Gotarzis excipias, vllam cum vocabulis Persicis similitudinem habere, ut nec Mithridatis. Verum Parthica sunt haec nomina, non recentioris Persici sermonis. Mithridates autem vetus Persicum est et satis frequens. cf. מתררת Esr. I. 8. IV. 7.

*a*) كتاي التنبية siue Indicateur f. 61. apud de Sacy Notic. et extr. VIII. p. 161. (Ectypi separati p. 30.)



plendum, (si ab eadem Zoroastris epocha numeres). Artaxerxen igitur veritum, ne populus prope imminentis exitii metu turbaret, dimidium annorum subtraxisse regulorum post Alexandrum epochae, et quosdam tantum reges nominasse, ita ut ipse 260 annis post Alexandrum regnum adiisse videretur. Quem computum, vulgo receptum, discriminis in chronologia regulorum, Moluc ettawaif, secundum Persas et alias gentes causam extitisse. — Si vera esset haec narratio, historiae regio iussu corruptae hic haberemus singulare et fortasse unicum exemplum. Verum attentius consideranti fabulae simile videbitur, regem praeteritorum temporum chronologiam mutare aut voluisse aut potuisse. Quodsi enim annales Parthorum existebant, a vulgo lecti, irritus erat conatus. Si nulli erant, nec cognitae temporum rationes, non opus erat ista providentia, et longe facilius erat, aliam oraculi interpretationem edicto sancire. Mihi quidem vaticinii istius, haud dubie post euersum ab Arabibus Persarum imperium inuenti a Mobedo aliquo, clarus sensus esse videtur, si Mille anni ab Alexandro inde numerentur. Qui cum Persia potitus sit a. ante Chr. 331. mille annorum finis in annum p. Chr. 670. incidit, quo tempore, Mohammedanis per omnem Persiam dominantibus, Zoroastricus cultus sensim deficiebat. In edicto Artaxerxis I. et literis Bescher s. Bischer sacerdotis, quo praecone is utebatur *b*), quas puto circa ipsa haec tempora euersi imperii ad admonendos patriarum religionum asseclas, fictas esse, nihil est, quod M. annos a Zoroastre numerare iubeat; et in Masudii relatione haec verba: *à partir de la même époque*, ab ipso auctore arabico addita sunt, quod vnicinis additis significasse videtur ill. de Sacy. Magi igitur, qui hunc computum Masudio suggererunt, annalium suorum in rebus Parthicis defectum regio mandato excusare voluisse censendi sunt. Caeterum ipsa variatio scriptorum orientalium in duratione regni Parthici definienda, quam

---

*b*) Notic. et extr. des MSS. l. c. p. 162. (Ect. p. 34.)

200. 217. 265. 350. 380. 430. 469. annorum fuisse, alii aliter, statuunt, satis manifesto indicat, non edictum regium, sed veri temporis et rerum gestarum ignoracionem pro causa subesse. Etiam Malcolmus et Erskinius, doctissimi, nullos historiarum scriptores sub Parthis in Persia extitisse fatentur *c*).

### III. DE HISTORIA PERSARUM SUB SASSANIDIS.

Laetior fuit sub Sassanidarum imperio historiae conditio, etenim sub regibus literarum amantibus, qui medicos graecos et philosophos liberaliter exciperent, librum Indicum celeberrimum, fabulas Bidpai persice verti curarent, artes fouerent, mox literae efflorescere coeperunt et libri conscribi, rerumque gestarum memoria literis mandari. Multa scripta esse a Persis, hac aetate, docent tum ea, quae de libris Persicis, capta Ctesiphonte a Saado duce, Omari chaliphae iussu, crematis refert Hagi Chalpha *d*), tum hoc, quod plures memorantur, qui libros Persicos Arabice verterunt, ut Mocaffa *e*), Beladzori *f*) Hassan ibn Sahel *g*), et Abdallah ibn Ali *h*), qui cum seculo p. C. octauo et nono verterint, apparet vel his temporibus libros persicos haud paucos superfuisse.

Mirum videri possit nunc repente libris et scriptoribus abundare Persiam, cum sub Parthis ne nomen quidem scriptoris memoretur. Sed debetur hoc imprimis Artaxerxis, egregii ac strenui principis, prudentiae. Is enim postquam fracta Parthorum dominatione ad Persas imperium retraxisset, statim perspexit, nullo modo stabile fore imperium, cuius prouinciae et populi nullo communi

---

*c*) Malcolm History of Persia II. 87. 243. Bombay transact. II. p.307.

*d*) de Sacy Abdallatiph p.241 seqq.

*e*) Notices et extr. de MS. X, 331.

*f*) Hamacker specim. Catal. bibl. Lugd. Batav. p.14.

*g*) Hagi chalfa in notic. et extr. de MSS. Vol. X. 460. n. 2.

*h*) Ibid. p.236.

vinculo continerentur. Parthi enim, summo imperio et tributis contenti, cuius genti aut provinciae suum gubernatorem aut dabant aut permittebant, qui fere pro lubito intra fines provinciae res gerebat, plane vt nostra aetate in Turcorum imperio fieri videmus; vnde apud orientales scriptores hac aetate in Persia reguli populorum ملوك الطوائف regnasse dicuntur. Artaxerxes, patre vsus aut ano pyrei praefecto *i*), adeoque auitis religionibus innutritus, antiqua Zoroastris sacra et Magorum dignitatem restituit, quibus vndique conuocatis sacrorum librorum restituendorum religionumque curandarum officium imposuit *k*). Hi igitur libris sacris colligendis, digerendis, in linguam tum vsitatam, pehleuicam vertendis et commentandis, et sacris administrandis occupati, non tantum summa apud populum auctoritate pollebant, sed etiam apud reges, quorum consiliarii erant et iuris diuini humanique interpretes, qui cum tam inter se, quam cum Christianis in Persico regno satis frequentibus, de religionis placitis disputarent, ad operam literis dandam, ad philosophandum et libros scribendos ipsa officii ratione duci debuerunt.

Ipse rex Artaxerxes libros scripsisse fertur, in quibus كرامت *Kar-nameh*, h. e. secundum Mirchondum, enarrationem itinerum suorum per omnes orbis regiones *l*); Herbelotus *m*), e Chondemiro vt videtur, librum diurnum explicat, qui res gestas regis acta et sermones contineret, haud dubie verius. Ex hoc enim libro ducta sunt quae Masudius de calamitate post M. annos ventura *n*) refert, et quae Mirchondus memorat sapienter dicta huius regis *o*).

Alius

*i*) Mirchond ap. de Sacy. Antiqu. de la Perse p. 275.

*k*) Herbelot bibl. Ardeschir Babegan.

*l*) Mirchond ap. de Sacy Antiqu. de la Perse p. 280.

*m*) Bibl. or. voc. Ardeschir.

*n*) Notices et extr. de MSS. VIII. fol. 31.

*o*) Eundem librum esse puto, quem Masudius laudat ap. de Sacy l. c. p. 163. (34. ectypi) snb titulo كرامت quae vox, haud dubie cor-

Alius liber Artaxerxi tribuitur كتاب الاداب s. اداب التمش de humanitate vitae, s. morum et vitae prudenter instituendae praecepta, quae, vt infra videbimus, a Mocaffa arabice conuersa sunt. Vix puto fore qui regem horum scriptorum auctorem habeat; notum enim est quantum ament orientales libris suis, ad auctoritatem augendam, illustrium virorum nomina praefigere. Cum prudentiae et sapientiae laude celebraretur Artaxerxes I. facile fiebat, vt eius res gestae et imperii ratio a Mago aliquo describerentur, dicta etiam et morum praecepta colligerentur, qui libri deinde pro regis ipsius, cuius nomen gererent, habiti sunt. Aut fortasse senior auctor, notitias et praecepta regibus vtilia, Artaxerxis nomine ornauit, vt Iudaei scriptores Cohelet et σοφίαν Salomonis sui nomine. Denique Artaxerxem vitam suam et res gestas scribi iussisse refert Hamza Isphahanensis, quod exemplum alios reges secutos esse p). Dolendum nimis breuiter haec dici; nec enim apparet, an ipsum Karnameh indigitet, aut alium librum ab isto diuersum. Nuschirvanis s. Chosrois I. certo extitit historia, sub titulo سيرة انوشهروان كتاب التاج في سيرة انوشهروان liber coronae, de rebus Anuschirvan arabice versus a Mocaffa q). Plures praeterea tum fuisse historiarum scriptores idem Hamzah innuit l. c. dum de dissensu eorum queritur. Etiam Agathias Sec. VI. exeunte Persas annalium auctores negligentiae incusat in notandis regum suorum nominibus ac regnis, cum tamen historias Romanorum ab Aenea inde ad Iustinianum pertexant r). — Persae igitur nunc exterarum etiam gentium res

---

rupta, كاسه نامه legenda (transpositum † a librario). كاسه munus publicum, officium indicat, adeoque officiorum librum. Additur, apud Mobedos tantum reperiri, et videri de regni statu egisse, quod cum Kar-nameh congruit.

p) Ap. Erskine, Bombay Transactions II. 307.

q) Notices et extr. VIII. 360. (331.)

r) Agath. hist. II. p. 61 sq.

Classis Hist. et Philol. Tom. VI.

scribebant, domestica tamen minus accurate, ut mos est orientalem. Nec enim utebantur memoriis regio iussu scriptis et archiuis, quibus acta regum (*διδραγμα βασιλικαι*) seruabantur, teste Agathia, sed quae quisque e libris siue aliunde comperisset, ea scribebant. Sub ultimo Sassanidarum aliquo, fortasse Jesdegerte, concinatum fuit *Basitan naméh* باستان نامه, *rerum antiquarum liber* s. *αρχαιολογια*, qui in praeda captae Ctesiphontis duci Arabum Saad-Vaccas cecit s); incertum an omnem Persiae historiam a Caiomers inde complexus fuerit, an Sassanidarum tantum. Poterat enim vti que archacologia adpellari si res Sassanidarum per IV secula et ultra continuatas ab initio inde tractabat. Idem haud dubie liber est quem arabico titulo *Tarich Fars*, annales Persiae, dicit, et arabice e Pehlevico versum a Mocaffa refert e Masudio Hadgj Chalfah †). Magni is habitus a Persis et in adornando Schah naméh historia sub Mansure Samanida adhibitus, de quo commentatione altera dicitur.

Sed mira huius libri fata narrat praefatio carmini Schah naméh Ferdusiano praefixa, quam suae huius versionis praemisit Champion u). Nempe Saadvaccam (Saad ibn Abu vaccas) exercitus arabici ducem, in spoliis captae Ctesiphontis reperisse annales Persiae Pehlevice scriptos iussu Jesdegertis, eosque obtulisse Omaro Chaliphae, quem librum arabice verti iussisse, quibusdam tamen, quod religioni aduersarentur, reiectis. Liber ipse, perguit, in praeda abiectus Habessino cuidam cecit, a quo regi suo oblatus, in Habes-

s) Annals of or. literat. I. p. 91. Ill. de Sacy Notic. et extr. X. 166. not. Nuschirvanis iussu scriptum esse refert ex Hadgi Chalpha et Masudio. fort. error in nomine.

†) Ap. de Sacy Notic. et extr. X. 226. Ap. Herbelot. (bibl. or. v. Schahnamehulkadim) سبهر الملوك appellari videtur.

u) The poems of Ferdosi by Champion, Lond. 1788. 4. Life and Writings p. 20 eqq.

sinum sermonem regis iussu translatus, tandem in Indiam migravit. Fama rei ad Iacobum Leithi (Soffaridam) perlata, is librum describi iussit, et o pehleoico vertendum Abu Mansuro tradidit, qui adhibitis IV. historiatarum peritis optis auxit et perfecit, quod mox Dekiki versibus reddere coepit etc. — Nescio vnde ducta sint haec, ab iis quae e Daulet Schah aliisque inprimis ipso Abu Mansuro de carminis Schah nameh origine traduntur, plane diversa imo temporibus contraria et fabulosa. Inepte hic compositus est Abu Leith cum Abu Mansuro et Dekikio, qui ad vltimos Samanidas et ad Mahmud Ghaznevidam spectant, integro seculo posteriores. Ipse Abu Mansur, Samanidarum Vezirus, in praefatione ad Schah nameh historicum operis Mucfi h. e. versionis veteris Chronici pehleoici a Mocaffa factae, mentionem facit x). Quod quasi miraculo ex Aethiopia et India Chorasnam delatus sit liber, sinit auctor, ad fidem carminis augendam, quasi ex archetypo, e spoliis regis sumto, ducta sit Ferdusii narratio, quam tamen fidem ipse eleuat, dum ab Abu Mansuri quatuoruiris auctum et expolitum dicit. Magis ad verum accedunt, qui Nuh Samanidam a. Heg. 383. Dekikio versibus reddendum tradidisse statuunt y). Sed hac de re infra pluribus dicetur.

Maioris momenti est quaestio, an isti *Persiae annales* antiquissimam quoque historiam aut Sassanidarum tantum res continerint, quod incertum esse supra indicaui. Equidem noui istud plerumque statui a viris doctis, sunt tamen quae alteram sententiam pro magis vera habere suadeant. Etenim in annalibus regio iussu scriptis, florentibus Sassanidarum rebus, non profecto poterat historia Medorum et primorum Persiae regum eo modo descripta fuisse, qualem in Schah nameh carmine legimus. Atqui id, ex parte saltim, e libro Schah nameh historico profluxit, in quo ad-

x) Wallenburg notice sur le Schah nameh. Vien. 1840. p. 39.

y) Annals of Or. Lit. I. p. 92.

ornando hi annales Tarich Fars adhibiti sunt, vt infra videbimus. Nec poterat historia Parthorum, qui proxime processerant, tam exiliter tractata fuisse, vt Ferdusius nil nisi nomina regum se reperisse affirmet. Nonne cõgimur quasi statuere, istud Tarich Fars, s. Basitan nameh haec non continuisse? Sed accedit aliud argumentum, quod mihi quidem in hac quaestione graue videtur, scilicet liber historiae Sassanidarum a Masudio descriptus z). Vidit ille in vrbe چاه fort. Istachara (Persepoli) librum historiae Sassanidarum arabicum e persico conuersum in vsum Chaliphæ Hescham fil. Abdolmalec Omniadae X. (qui ab a. 106-125. p. C. 723-42. regnavit) finitum a. 113. p. C. 731. Scriptus erat in charta (membrana) purpurea et exornatus regum singulorum imaginibus pictis. Imagines ait, olim in regis thesauris seruatas fuisse, vt et librum, e quo is descriptus. Vitas continebat XXV. regum duarumque reginarum, quorum imperium per 433 annos, 6 menses 7 dies durauerat. Excerpta ex eo dedisse se affirmat Masudius in pratorum aureorum parte VII. dolendum tamen titulum libri eum non dedisse, e quo certo constaret, an sit idem cum modo memorato Basitan nameh et Tarich Fars. Sed cum librum persicum scriptum fuisse appareat florentibus Persarum rebus, versus finem stirpis Sassanicae; reginae enim Turandokht et Arzemidokht ad a. 630. spectant, et in vsus regio imaginibus exornatum, in promptu est suspicari, hunc ipsum esse historiam Persarum a Saad ibn abuvaccas Omaro traditum, quippe ex imaginibus additis Saadus Persicarum alioquin literarum ignarus, facile videbat historias inesse. Latuit ille in Chalipharum thesauris donec eum Hescham chalipha, historiae cognoscendae cupidus, e latebris protraxit et arabice verti iussit. Sed de Basitan nameh satis.

Ex his, quae adhuc exposuimus, patet, plane aliam fuisse historiam Persicae sub Sassanidis conditionem, quam superiorum tem-

---

z) Notices et extr. VIII. 163. Indicateur fol. 65.

porum. Scriptae enim fuerunt nunc historiae rebus gestis coaevae, ut Artaxerxis et Nuschirvanis, et annales regio iussu conditi, universam Sassanidarum stirpem complexi, quibus, cum in arabicum sermonem translati fuerint, uti potuerunt auctores arabici et Persici, ut Thaberita, Hamzah Isphahanensis et Masudius, qui ex annalibus modo memoratis quaedam prae suis aureis, operi historico, se inseruisse affirmat a). Hinc est quod non tantum in regum serie, et in rebus gestis cum Graecis et Romanis scriptoribus propius conveniunt, sed etiam saepius, imprimis in ultimorum regum regnis, eos supplent ac corrigunt. Variant utique scriptores orientales tam in numeris, quam in regum nominibus, siue fontium vitio, siue sua aut librorum incuria; quae tamen adhibita crisi et comparatis inter se scriptoribus emendari poterunt.

Sed erat Persis hac aetate aliud historiarum genus, scilicet *narrationes de rebus gestis veterum regum et heroum*, quas nos fabulas romanenses dicimus. Valde in deliciis erant Persis eiusmodi narrationes rerum mirabilium plenae, et fabulae amatoriae, et vel nunc talibus abundant, tam soluta oratione, quam carmine conscriptis. Potuerunt eiusmodi narrationes valde antiquae esse, traditione vulgi servatae; iam restituto sub Sassanidis gentis primatu renouatae veteres gloriae et literis mandari exornarique coeperunt. Moses Chorenensis b), seculi V. scriptor, ad Isaacum Bagratidem, talibus narrationibus delectatum; Quid tibi, inquit, sunt voluptati viles ac vanae de Byraspe Astyage [Byrasp Zohac c)] fabulae? aut cur nobis ineptos atque insulos ac rationis expertes Persarum sermones laborem imponis explicandi, nempe de primo eius benefacto malefico, daemoneisque ei ministrantibus, utque errorem et falsita-

a) Notices et extr. de MSS. VIII. fol. 60. 68.

b) Histor. Armen. p. 77.

c) Zohacus etiam a Thaberita Biürasp appellatur, quod X mille equos haberet. Bombay transact. I. 112.



tem frustrari non potuerit, ac super Innumorum osculatione, vnde Draconum ortus fuerit, ac deinde flagitii frequentia homines per ventris usum perdidit, utque Rhodanes quidam postea catenis cum aeneis constrinxerit, atque in montem qui vocatur Dembandus abduxerit. Rhodanem vero inter viam dormientem, Byraspes in collem traxerit, Rhodanesque, somno excitus, in cauernam montis eum duxerit, contraque eum vinculum statuum posuerit, cuius terrore percussus, catenis domitus, eundem non potuerit, quo terras perditum iret." — Vides narrari fabulam de Zohaco a Feridune victo, in paucis a Ferdusii ratione diuersam. Quaedam tamen, legenti obscura, minus recte vertisse videntur Whistonii. Porro Muhammedis tempore erat Nasser quidam ben Hareth, qui aliquandiu in Persia mercatus caussa versatus, narrationes de Afrasiab et Rostemo Meccam referebat, quibus adeo delectabantur Meccani, ut Corani acroasibus praeferrent, vnde iis poenas imprecatur Mohammedes d). Illas fabulas arabice vertit Ebn Mocaffa e pehleuico e), scil. كتاب البنكش, *librum Benkesch* (titulo obscuro) de rebus Esphenidiaris, qui arcem Alan, الالان, in Armenia aut Georgia extruxit, et librum سکسران *Secseran* (Mazanderanos indicari puto) de morte Afrasiabi, bellis cum Turcis et factis egregiis Rustemi. Innotuit fortasse vltimum bellum cum Turaniis quo caesus fuit Afrasiab Turaniorum rex. Thahero Chorasanae praefecto, sec. IX. medio offerebat aliquis carmen amorum Vamic et Asra, persicum, Nuschirvano dedicatum, quod Thaher vt Magorum opus in aquam proiici iussit f). Porro, cum ad Schah nameh concinnandum subsidia historica colligerentur, princeps aliquis notitias de regibus antiquis, ab Arzub Zerrin, homine docto scriptas suppeditabat; Firuzabadius, e Sam

d) Sur 31, 6. Hébelot bibl. or. s. v. Nasser b. Hareth.

e) Masudi ap. de Sacy Notic. et extr. X. 226.

f) Abdollatif par de Sacy app. p. 528. Carminis titulus est arabice verus, وعذرا وامنك *amans et puella*.

Neriman, patris Rustemi, prosapia, plura de Sam, Zal et Rustemo fidei traditione seruata, communicabat g).

Denique in ipso *Schah nameh* carmine vbique sunt singularum narrationum vestigia, ab ipso poeta satis dilucide indicata, dum in singularum initio داستان, narrationem adpellat, et a Mobedo s. Mago acceptam refert, quas narrationes siue carmina singula bene distinxit ill. Görres in versione libri vernacula. Ipse Ferdusius iam antequam totum opus aggrediretur singulas narrationes carmine reddiderat, de Foridunis cum Zohaco pugna, de rebus Rustemi et Esplendiariis, de *Siavesch* vindicato h), et ante eum *Dekiki* de Gustaspe et Ardchasp, *Asemi* de *Gerschasp*, *Ansari* de *Schrabo* carmina scripserant i). Alius poeta anonymus, sed magni ingenii et antiquus, *Barzu nameh* condidit, cuius particulam nuper edidit cl. Kosegarten, professor Jenensis in Vol. V. *Fodinarum Orientis*.

Erant igitur Sassanidis regnantibus inter Persas plures narrationes singulae et fortasse carmina; quas ore traditas primum phevica, deinde persica s. Deri lingua, quae a Behram Gur inualuisse fertur, sensim literis mandatas esse opinari licet. Qui his narrationibus celebrantur reges et heroes alii e veteri fama ducti, alii fortasse e libris genti sacris, in quibus laudantur Themuras, Giemschid, Zohacus, Feridun etc. k). Quibusdam harum narrationum, inprimis quae ad reges antiquos spectant, subesse fundum historicum, minime nego, aliae ethicum aliquid spirant, vt quae de Zohaco et Giemschido narrantur, aliae oblectationis causa repertae. Omnes ad antiquitatem Persicam referuntur, nec mirum ex ea aetate qua Graeci et Parthi dominarentur, nihil narrari; quippe hos vt exteros, et patriae graues auersabatur popularis traditio. Quasdam ha-

g) *Champion* praef. p. 20.

h) *Champion* praefat. p. 22. 26. *Wallenburg Notice* p. 54.

i) *Annals of orient. literat.* I. 92. 103. 104.

k) *Vendidad Sadeh*, *Farg.* I. II. *Jeschth Sadeh Card.* 9. P. II. 156. germ.

rum narrationum antiquas fuisse putes, et fortasse iam ante Sassanidarum regnum ad Graecos propagatus. Quae enim de Achae-mene ab aquila nutrito audiuisse se refert Aelianus *l)*, ad Zalzer, Sami filium a Simurg, aue fatidica, nutrito spectare, vix dubito. Facile graecus homo pro Zalzero, ignoto nomine, notio-rem Graecis Achacmenem potuit substituere.

In coniungendis singulis narrationibus, quae historici argu-menti sunt, accidere poterat, vt diuersae sub vno nomine iungerentur, aut singulae transponerentur. Istud iam plures opinati, narrationem de Cobado complecti res Deiocis, Phraortis et Cyaxaris, Mediae regum. Fortasse non nimis audax fuerit suspicari, transpositos esse Ke Caus et Ke Chosru. Vix veri simile videtur, adeo intercidisse Cyri, Persarum imperii conditoris, memoriam vt ne nomen quidem supersit, aut Cambysis filii et successoris, qui Aegyptum aliasque prouincias imperio addidit. Iam Caus haud dubie idem nomen indicat quod orientalibus est Cabus, Graecis *καμβυσ-ης*, inserto *μ.* facillioris soni caussa. Chosru autem cum Cores, Cyro nomine conuenit, vnde iam plures eundem regem innui statuerunt. Concinunt praeterea quodammodo quae de Chosrois recens nati occultatione et fuga cum matre Feringis narrant orientales, cum Herodoti de Mandane et Cyro puero clam educato ratione. In Cambysem autem bene quadrat Cabusi contra regem Hamaveran expeditio. Transpositionis caussa fuisse videtur, quod Cyri pater idem Camby-sis nomen gessit, vnde confusus hic cum rege Cambyse. Gustas-pes orientalium, qui ad Persas minime spectare videtur, sed Mediae aut Bactrianae princeps fuisse, Cyro antiquior e libris Zoroa-strictis ductus est, quibus memoratur Zoroastris patronus et nouae religionis propagandae adiutor. Quid mirum eum Sassanidarum  
aeno,

*l)* Aelian. hist. anim. XII. 24. *Αχιμαενα μὲν τὸν Περσῶν-αἰτοῦ τροφίμου αἰνοῦ γενεσθῆαι.*

aeuo, restitutis sacris patriis, variis narrationibus, ineptis partim, celebrari. Sed cum praeter nomen *m*) et ea, quae in libris antiquis traderentur, nihil historiae eius superesset, in locum Darii Hystaspis substitutus est, ob nominis similitudinem. Mihi quidem ex his omnibus apparere videtur, traditiones orientalium non exhibere continuam rerum gestarum seriem, sed singularum narrationum, de rebus gestis veterum regum et virorum fortitudine illustrium, congeriem, quae Sassanidarum aeuo scriptae et exornatae, aut repertae fuerunt. Quodsi illae singulae ad nos perlatae essent, cum voluptate eas legeremus, in aliis qualemcunque philosophiam, in aliis foecundum in fingendo ingenium mirantes, in aliis denique historiae veteris vestigia animaduertentes, caeterum de nexu et cum Graecis historicis conuenientia parum solliciti. Arabes ac Persae, inprimis cum sub Samanidis principibus, qui ad antiquissimos Persiae reges stirpem referre adfectabant *n*), reuixisset veteris historiae cognoscendae studium, his narrationibus quasi subsidiis historiae Persicae concinnandae vsi sunt, atque in chronologicum ordinem utcunque eas redegerunt; idem agentes ac aliquot seculis post Saxo grammaticus, dum e veteribus Danorum Islandorumque traditionibus et carminibus historiam Daniae concinnare conatus est. Sed haec alii commentationi reseruo.

---

*m*) Hinc iam Agathias Histor. II. 58. non constare apud Persas, vtrum Hystaspes ille, sub quo vixit Zoroastus (Zoroaster), Darii pater fuerit, aut alius quis.

*n*) vid. Herbelot bibl. orient. s. v. *Samaniah* in fin.

---

DE  
ORIGINE AC FIDE  
**ANTIQUAE PERSARUM HISTORIAE**  
QUALIS A SCRIPTORIBUS ORIENTALIBUS TRADITUR,

COMMENT. II.

**T. H. CHR. TYCHSENI**

LECTA D. X. DEC. A. MDCCCXXV.

---

Cum superiore commentatione, qualis fuerit historiae apud Persas conditio vsque ad finem Sassanidarum imperii, declarare studuerim, restat vt de eius ratione sub Arabibus et Persis agam; e qua aetate cum deriuata sit omnis Persarum historiae, quali nunc vtitur oriens, argumentum et forma, Vestra A. A. imploranda mihi est indulgentia, vt haec persequentem patienter audiatis, quanquam vereor fore, vt aliquando leuiora Vestra auribus et a Vestrorum studiorum grauitate aliena videantur.

IV. DE HISTORIA PERSARUM SUB ARABIBUS ET PERSIS.

Arabes, expugnata sub Omaro Chalipha Persia, qua erant morum feritate et religionis propagandae studio, Persas multo seuerius tractabant quam Iudaeos et Christianos. Magos enim Mohammedes non, vt istos, inter scripturarios, h. e. eos qui libris diuinitus reuelatis vterentur, numerauerat, vnde Mohammedani Persas pro ignicolis et idololatrīs habere solent. Praeterea Omar eiusque successores recte perspiciebant, Persas, gentem validam, moribus, lingua, institutis, religionibus coniunctam, in obsequio contineri non posse,

si diuersas religiones sequerentur, imprimis durante validissimo Magorum ordine, cuius summa apud populum auctoritas. Igitur templa et pyrea destruebant, libros cremabant, homines ad Islamismum suscipiendum vi adigebant; omni studio id agentes, vt Persarum instituta, religiones et ipsam linguam euerterent et immutarent. Omnes prouinciarum praefecti et in officio publico constituti, alias ex inquilinis sumi soliti, in Persia Arabes erant, in omnibus scriptis et diplomatibus Arabicus sermo adhiberi iussus, nec literas publicas persice scribi permissum *a*). His de causis factum vt magna gentis pars ad nouas religiones transiret, alii, exactionum et dominationis pertaesi, in montium latebras confugerent, aut patria relicta praesertim Indiam migrarent. Durauit haec calamitas, per integrum seculum, quam diu Omniadae rebus praesent.

Magi hac aetate id sibi agendum esse videbant, vt populares in religionibus patriis confirmarent, et putem primo seculo sub Omniadis scriptos esse libros pehleucos, Bundehesch et Saüder Bundehesch, quibus religionis capita praecipua illustrantur, Vlema Eslam et Tschengregatsch nameh ad cauenda et refellenda Mohammedianorum et Brachmanum placita compositos. Historiae quoque auctores nominantur *Jezdandad* filius Schapur, Sistanensis, *Mahevi Chorschid*, fil. Behram, Nisapurensis, *Schahin* fil. Perzin, Tusensis, *Schahtadsch* fil. Corasani, Heratensis *b*), qui, si eodem tempore scripserunt, veteris gloriae recordatione praesentem gentis calamitatem solari voluisse videri possint. Persas gente fuisse, hos scriptores et Zoroastricis religionibus addictos, ipsa nomina satis produnt; solebant enim Persae suscepto Islamismo arabicum nomen adsciscere, vt Kessai, qui Abulhassan Ali, ben Hamzah dictus fuit. Cum porro eorum libri in concinuanda Persiae historia, *Schah nameh*, sub Mansure I. Samanida circa a. p. c. 960 adhibiti sint *c*),

*a*) Daulet Schah ap. Wilken instit. L. Pers. p. 169.

*b*) Notice sur le Schah-Nameh de Ferdousi. à Vienne 1810. p. 30.

*c*) l. c.

debuerunt illi celebritatem quandam et vetustatis auctoritatem consecuti esse, vnde non absouum fuerit, eos ad seculum octauum referre. Caeterum an omnem Persiae historiam aut partes tantum, aut ex parte etiam facta heroum veterum, quod fere suspicor, persecuti fuerint, quo sermone? an Pehleuico, aut Persico, quem, **Deri** appellatum, a **Behram Gur** inde in aula inualuisse ferunt, (arabico enim Persas tum scripsisse vix putem) plane incertum est, cum argumentum accuratius non indicet praefationis ad **Schahnameh** auctor, **Abu mansur el Omri s. Moammeri** e quo haec ducta sunt. Dolendum sane hos libros interiisse, e quibus fortasse simpliciozem et certiozem Persiae historiam, habituri eramus, quam eam, quam sub **Samanidis** e variis libris adornatam et variorum additamentis locupletatam, vt mox videbimus, in **Schah nameh** carmine legimus; aut traditiones vulgi a poetis nondum variatas.

Felicioz sors Persis affulsit sub **Abbasidis**. Arabes enim, cum Graecos et Persas se cultiozes esse viderent, sensim a prima seueritate remittere, et gentium deuictarum literas suspicere coeperunt. Accedebat, quod **Abassidae**, e Persia quodammodo progressi, Persarum ope imperium adepti erant. In **Chorasana** **Abu Moslem** agebat, praecipuus partium dux; **Hárun chalípha** **Barmecidis** Persis vtebatur regni administris; **Mamun** princeps a **Kessaeo** Persa institutus, deinde Persiam prouinciam regebat, et Persico exercitu adiutus imperium vindicabat. Imo videtur **Mamun** literarum amorem in **Chorasana** praecipue imbibisse, quae erat, teste **Abulfeda**, ingeniozum ferax, quippe e qua prodierunt scribae **Chalipharum** omnes et doctorum hominum magnus numerus *d*). Nunc igitur Persae, qui **Mohammedi** nomen dedissent, summis honoribus et muneribus ornati fuerunt, reliquis, qui in religione auita perseuerarent, liberum sacrorum exercitium permissum; vnde **Masudius** **Sec. X.**

---

*d*) **Abulf. Geogr. Tab. 22.**

medio pontificem Persam s. Mobedum memorat e), cuius auctoritatem suspicerent omnes Persicis religionibus addicti in montanis Mediae, Eraca aliisque prouinciis, in quibus tum adhuc plurimi debebant.

Arabes, cum ad literas gentium cultiorum recipiendas animi adicerent, a Graecis primo rem medicam, deinde reliquas disciplinas acceperunt, a Persis historias, narrationes ad oblectationem factas, et quae ad mores et vitae elegantiam spectant, quibus rebus in Asia Persae excellabant. Ambigi possit vtriusnam gentis libri prius arabice conuersi fuerint; etenim si vera essent, quae de historia Persiae sub Omaro chalipha arabice conuersa narrantur in praefatione carminis Schah nameh apud Champion p. 18. iam sec. VII. medio circa 640. p. C. id factum esset, nam a. 636. victus est Jesdegertes ad Cadesiam. Sed plura sunt, quae hanc narrationem suspectam reddant, nec apparet vnde tum temporis petitus sit qui pehleuica arabice redderet. Hactenus igitur anterior est arabica versio Pandectarum rei mediae Aaronis Alexandrini, quas arabicas ferit sec. VII. exeunte Masergeweh Judaeus f), quanquam ea versio nec nomen consecuta est, et lucri maxime causa confecta esse videtur. Certius est, quod Sassanidarum regum historiam e persico arabice verti iussit Hescham Chalipha, quam vidisse se testatur Masudius g). Putem hanc versionem, quae a. Hegirae 113. p. C. 731. finitam se fuisse testabatur, Persam auctorem habuisse. Etenim Arabes hoc tempore parum curabant exterarum gentium linguas, quas contemnebant, cum omnia in templis, in foro et rebus administrandis arabice gererentur. Persis contra necesse erat arabica nosse, et fuerunt plures, qui ab arabici sermonis peritia nomen adepti sunt. In horum numero fuit Ruzbeh fil. Dadaueh,

---

e) Indicateur fol. 65. vid. Notices et extraits VIII. p. 34. ectypi sing.

f) Abulfarag. Hist. Dyn. p. 158. 198. ar.

g) Indicateur fol. 65. Notic. et extr. VIII. p. 34. ectypi.



arabico nomine *Abu Amru Abdallah fil. Mocaffa* (بن المتفتح) (ab aliis perperam *Muefa*, *Mucni*, *Mocanna* dictus), qui gente Persa et in Magoram religionibus educatus, tandem Mohammedi nomen dedit, et sub *Almansore*, *Abbasidarum* secundo, a. Heg. 142. p. C. 760. crudeli morte dicacitatis et imprudentiae poenas luit *i*). Hic vir ingenio et linguarum peritia celeser, qui arabicam adeo calle-ret, vt carmina arabica faceret et poemation eius receptum sit in anthologiam poeticam *Hamasa* dictam *k*), plures libros persicos in arabicum sermonem transtulit, haud dubie tales, quales ab Arabi-bus desiderari maxime intellexisset. Alii ad mores spectant et hu-manitatem, vt liber *Calila ve Dimna*, quem ex India allatum sub *Nuschirvano* persice, et mox in plures linguas, versum esse notum est. Chaliphae *Mansuris* iussu versum dicit praefatio ad *Ayar Da-nesch l*). Porro كتاب الاداب liber de humanitate, tam maior, quam minor, prioris fortasse epitome. Hunc *Ardschir Babegan* regi tri-bui supra vidimus. Denique كتاب البتيمية في الرسايل (البدبعية) liber

*h*) Ebn Chilcan ap. de Sacy Notic. et extr. X. 224. cf. 174.

*i*) In praefatione, libro *Schah nameh* praemissa (ap. Wallenbourg Notice sur le *Schah nameh* p. 27.) narratur *Abdallah el Mukni s*, *Mokna* (qui haud dubie est *Mocaffa*) praeceptor fuisse *Meemunis* (*Mamunis* Chaliphae) eiusque iussu librum *Calila* sub *Anuschirvan* ex In-dia adlatum e *Pehlevico* in *Tazi* h. e. arabicum sermonem transtu-lisse. Manifesto falsa haec sunt et temporum rationi aduersa. *Ab-dallah* enim caesus est a. Heg. 142. quod accurate docet *Ibn Khilcan* (Not. et extr. X. 223.) XXVIII. annis ante *Mamunem* natum, quem a. H. 170. natum esse constat. *Abulfed. Annal. Mosl. II. 164.* Con-fudit auctor *Calilam* cum alio vetusto libro *Gjavidan Kihired* (sa-pientia aeterna) quem *Hassan ibn Sahel Mamunis* minister arabice vertit. Notices et extr. X. 160.

*k*) Ib. p. 223. et 333.

*l*) Notices et extr. X. 263. 272.

*margaritae*, in tractatibus novis s. praestantibus m), quem tamen librum non vertisse sed ipse composuisse videtur Mocaffa n). Alii narrationes fabulosas continebant, vt كتاب البنكش liber Benkiesch, de rebus Esphendiariis, qui arcem Alân extruxit, et liber سكران Secseran, de morte Afrasiabi, de bellis Persarum et Turcorum, de factis heroicis Rustemi filii Destan. Vtrumque singulas narrationes, inter se non connexas, fuisse patet. Fortasse eodem referendus liber Anbar s. Atir (اسر نامه) obscura enim et incerta est lectio. Historici argumenti sunt, 1) liber *Mazdao*, haud dubie de Mazdaco, qui sub Cauade nouae haereseos auctor extiterat, Auestam allegorice interpretans. 2) خدای بامد *Chodai nameh* de rebus gestis. . . obscurus, decurtato titulo. 3) كتاب التاج في سيرة انوشيروان liber coronae de rebus *Anuschirvan* regis. Hos libros recenset catalogi librorum arabicorum auctor al Nedim o), qui sec. X. exeunte scripsit, nulla mentione facta 4) *Tarich el Fars*, s. historiae Persiae, quam a Mocaffa e pehlevico factam, ex Hagi Chalpha aliisque supra Comm. I. indicauimus. Quod hanc omisit Nedimus aut loci non satis integri vitio imputandum, aut consilio auctoris, qui noluit omnes libros a Mocaffa editos commemorare, quem plura scripsisse vel e Mahdii Chaliphae dictione apud Khilcanum patet, se non reperisse librum atheisticum (زندقة) qui non ad Ebn Mocaffa referretur p).

Aperto per Mocaffam arabice scribendi stadio, cuius libri cupide lecti fuisse videntur, mox plures in eo decurrerunt, atque in historia literaria Arabum Persae tantum consecuti sunt, vt Hadgi Chalpha in encyclopaedia disciplinarum singulari capite quaerat

m) Titulum libri plenius refert Hagi Chalpha ap. de Sacy Notices X. 220. cf. 219. 227.

n) Ebn Chilcan l. c. 220.

o) V. de Sacy notices et extr. X. 331.

p) de Sacy Notic. X. 220.

vnde factum, quod celeberrimi in literis Islamiticis viri Persae fuerint *q*), praeter ruditatem Arabum quietum vitae genus apud Persas allegans. Dicendum erat, Persas cultiores fuisse et literas adamasse; vbi enim lectores adsunt, non deerunt scriptores. Paucos tantam nominare liceat, qui, cum ex parte scripserint antequam liber Arabibus editus esset, choragis literarum arabicarum accensendi sunt. Sibujeh grammaticae arabicae auctor, mortuus a. Heg. 180. mox Kessai, Mamunis magister, historiae patriarcharum et prophetarum auctor, grammaticae quoque arabicae peritissimus. Quos Hadgi Chalpha addit grammaticos, Farsi et Suschadsch *r*), nescio an ad haec tempora spectent. Abulmaaschar (Apomasar) mathematicus, Razi medicus, Ravendi philosophus, audacibus contra Coranum placitis famosus, denique Thaberita historicus, cuius annales populorum ac regum (تاریخ الامم والملوک واختیارهم) ex ingenti plurum voluminum collectione excerpta, adhuc supersunt. Eadem aetate, scil. seculo nono, ante Samanidarum imperium scripsisse videntur historici in praefatione ad Schah nameh nominati *Mohammed Giehem* Barmecida, *Daud Mahavi*, *Behram Isphahanensis*, qui de Mose, Iesu, Khosroe et Heschamo (Abbasidarum gentis conditore) libros biographicos scripserat *s*); priores istos haud dubie in vsum popularium, qui Moslemi facti essent. Porro *Kassim Isphanensis* res regum Parthorum, et de *Behram-Schah* eiusque thesauris, de *Mamune*, de *Merdan Schah Kirmanensi*, de *Ferkhan docto*, de *Yesdegerte* eiusque seruo *Ramin* scripsit. Alios tres *Behramos*, in quibus *Heratensem Magum*, addit ill. de *Hammer t*), non indicato tamen librorum argumento. Apparet ex his plures historiarum scriptores inter Persas fuisse, qui aut gentis vniuersae aut regum cele-

*q*) Encyclopaed. Uebersicht d. Wiss. des Or. p. 150.

*r*) l. c. p. 152.

*s*) Wallenbourg notice p. 39 sq.

*t*) Gesch. d. sch. Redekünste Pers. p. 37. not.

celebrium historiam scriberent, fortasse vt antiquae famae et potentiae populares commonefacerent. Non poterat non gens valida, et impetare solita, impatienter ferre iugum ab Arabibus impositum; vnde frequentes sub Chaliphis in Persia turbae et seditiones, et mox extiterunt, qui in singulis prouinciis regna conderent, vt Soffaridae, a Heg. 260. (872) gente Persae, et paullo post Samanidae, qui pulsis Soffaridis, Transoxanae, Chorasanae aliarumque orientalis Persiae prouinciarum domini erant, Chaliphis per speciem tantum parentes. Erant hi principes literarum et imprimis historiae et poeseos amantes; et cum origine Persae essent, patrium sermonem et res gestas veterum regum, ad quos per antiquos heroes genus referrent *u*), reuocare et pristinam gentis gloriam restituere conati sunt. Quae res magni ad historiam veteris Persiae mutandam momenti fuisse videtur, quod paullo vberius nunc declarandum.

Scilicet adhuc vidimus historicos Persarum libros quantum nobis innotuerunt, continuisse aut res singulorum regum; vt Nuschirvani, Chosrois, Behrami, Jezdegertis; aut annales imperii, quo referendum Tarich Fars a Mocaffa arabice conuersum, et historia regum Parthorum Kassimi Isphahanensis, modo memorata. Istud Tarich Fars nihil praeter Sassanidarum res complexum fuisse supra Comm. I. probabiliter docuisse mihi videor. Ab his historiis rerum a regibus gestarum plane alio loco habebantur narrationes de heroibus eorumque factis praeclaris et certaminibus, quae in ore vulgi et carminibus poetarum erant. Tales, de Esphendiaro et Rustemo singulos libellos, arabice vertit Ebn Mocaffa, alias seriores poetae carminibus singulis exposuerunt, de quo in Comm. I. dixi, alia carmina infra laudabuntur vbi de magno Schah nameh carmine dicendi locus erit. E talibus narrationibus Masudius sec. X. librum de pugnis equitum Persarum concinnauit, quem opponeret simili

*u*) v. generis stemma ap. Wallenbourg Notice p. 45. ad Behram Giubin Sassanidam refert Mirchond, hist. Samanid. c. 1.

operi Abu Obeidae Mamar ben almathna de pugnis equitum celeberrimum inter Arabes. Ut haec Arabes ad historiam populi non retulerunt, ita Persae eiusmodi narrationes fabulosas et ad oblectationem factas in annalibus regum non recensuisse videntur, qui, si ultra Parthorum aetatem ascenderent, vix quidquam praeter regum veterum nomina, in libris Zoroastricis obuia, rerumque summam, et fortasse religionum Zoroastricarum origines commemorauerunt.

Sub *Samanidis* qui Sec. IX. ad finem vergente orientali Persia potiti sunt, in maius excreuit historiae persicae ambitus. Hi enim principes literas utique fouebant, maxime tamen oblectationis et gloriae captandae caussa. Poetas, pro more istius temporis principum, in aula habebant, qui carminibus et encomiis recitandis patroni aures delinirent, et quidem, quum Samanidis, e populo progressis, arabica non satis familiaris essent, patrio sermone persico. Quod ipsum resuscitandae quasi Persarum linguae ansam dedit. Sub Naser ben Ahmed Heg. 304 sq. Sec. X. init. celebrer imprimis fuit Rudegi poeta, qui Calila vedimna librum iam persice conuersum versibus reddidit x), et C. carminum libros scripsisse fertur, quorum vel nunc specimina supersunt venustissima, ut carmen ad hanc ipsum Naserum, quanquam vel hoc adulationis plenum. Tringinta circiter annis post Mansur fil. Nuh y) historiae veteris Persiae condendae aut colligendae consilium cepit, egregium utique et principe dignum; cuius exsequendi curam commisit Abumansori al Omri, Vesiro suo. Is igitur collectis vndique libris historicis Jesdandadi, Maheri-Chorschidis, Behrami, Schadani, Schatadgii aliisque supra nominatis, ex omnibus vnum fecit, quod ipse testatur; aut solus, aut, si fides praefationi alteri, quam Champion edidit z),

x) De Sacy Notices X. 236. Wallenburg p. 28.

y) Hunc puto esse principem, qui apud Wallenbourg notice p. 29, 44.

Ebu Mansur Abdurrezac Mahmud adpellatur. Ibidem p. 28. Naser b. Ahmed similiter dicitur Saad Ebu Nasr. fil. Ahmed, Samanida.

z) Champion praef. p. 20.

adhibitis IV. sociis Mansuro Umrensi, Schaspure Sistanensi, Mahu Nischaburensi, Sulmane Thausensi, et partita opera, ne quid vnus diligentiam effugeret. Apparet, hos omnes Persas fuisse, et, quod bene factum, nonnisi domesticis auctoribus vsos esse. Sed videntur hi quinque viri egregium principis consilium aut non satis intellexisse, aut saltem non bene executi esse, et mero colligendi narrationes studio contenti, parum iudicii et delectus adhibuisse. Docent hoc excerpta e praefatione Abumansoris a Wallenburgio edita, qua libros, e quibus historiam suam deriuauit, adeo negligenter recenset, vt nullius aut argumentum, aut ambitum et aetatem, et quid e quouis ductum declaret, multo minus in fidem et auctoritatem auctoris inquirat. Veteres annales sub Sassanidis conditos, *Basitan nameh s. Tarich Fars*, a Persis magni habitos, et ab aliis inter praecipuos fontes ipsius *Schah nameh* (saltem in Sassanidarum rebus) relatos *a*), ne nominat quidem, obiter tantum laudans filium *Mukny b*) h. e. *Mocaffam*, qui librum e *pehlevico* transtulit, quasi is sit auctor. Quum haud dubie inter auctores, quos laudat plurimos, fuerint qui narrationes de heroum gestis mirabiles literis mandassent, hos non distinguit, sed annalium relationibus inseruisse videtur, et omnino non tam quaesiuisse quae verae essent narrationes, sed quae recitatae principis auribus gratae esse possint. Sic factum vt narrationes de *Feridune* et *Zohaco*, quas fabulas adpellat *Moses Armenius*, de *Afrasiabo* et *Rostemo*, quibus delectatos fuisse *Meccanos* supra vidimus, aliaeque similes, carminibus et traditione vulgari seruatae, in locum historiae substituerentur. Quum hae narrationes in *Samanidarum* ditioe, *Sogdiana*, *Bactriana* et *Chorasana* maxime colligerentur, et e vetere sermone *Pehlevico* dudum in recentiorem linguam narrando transfusae essent, facile intelligitur cur bella cum *Turaniis* frequenter celebrent, de rebus

---

*a*) *Hagi Chalpha* ap. de Sacy *Notices* X. 226.

*b*) *Wallenburg* notice p. 39.

in occidentali Persia gestis, v. c. bellis cum Lydis, Babyloniiis, Aegyptiis, Graecis fere sileant; explicantur porro prouinciarum et urbium adpellationes recentiores, Caesaris mentio, elephantorum in bello vsus et chronologiae defectus. Haec enim in singulis narrationibus, vt rei fert natura, nulla erat, atque tum denuum accessit, quum in ordinem cae et continuam seriem coniungerentur. Nunc fortasse regibus anni adsignati, et cum ingens temporis spatium inter primos XX. reges, quorum nomina his traditionibus celebrarentur, distribuendum esset; quibusdam diuturna regna adscripta, C. annorum et vltra; Rustemo inprimis, qui in istis narrationibus, vbicunq; res in summo discrimine versaretur, quasi Hercules aliquis  $\sigma\omega\tau\eta\theta$  aduocatus fuerat, vnde in ipso Schah nameh sexcentos annos se vixisse dicit. Potuerunt vtique plura, vt regum series et annorum numeri, iam antiquiore aeuo sub Sassanidis constituta et literis aut narrationibus tradita fuisse, vt Comm. I. dictum; nunc tamen collectis, quantum fieri poterat, rerum gestarum memoriis, ea extitit, qua nos vtimur, historiae veteris Persiae ratio.

Abu Mansor opus, hoc modo adornatum, quod de regibus ageret et regio iussu compositum esset, *libri regii*, siue *Schah nameh* titulo c) adpellauit, quo opere, quamuis imperfecto, et exiguo cum iudicio critico concinnato, si nunc vti liceret, haberent fortasse quod sibi gratularentur historiae veteris amantes. At nunc eius loco habemus carmen celebratissimum Schah nameh Ferdusii, in quo egregio carmine res gestas, poeticae orationis et ingenii virtute magis etiam ornatas et amplificatas esse, facile est augurari. Ipsa carminis praestantia, qua factum vt id vnice legeretur, in caussa fuit,

---

c) Alium librum similem Schah nameh el cadim (شاه نامه القادیم) memorat Herbelotus h. v. ab Ali b. Mohammed b. Ahmed al balkhi cognomine الشعير (poeta) compositum e Seir elmoluc, Abdallah el moçanna (mocaffa) aliisque auctoribus Persis. Qui liber, ab opere Abumansoris plane diuersus, quo tempore scriptus sit, non reperio.

cur *Schah-nameh* liber, prosa oratione scriptus, (*Schah-nameh* historicum dicere liceat) mature periret; nec enim vsquam apud scriptores adhuc cognitos memoratur. Seniores historiarum scriptores e carmine potius quam e libro historico hausisse videntur, nobis saltem illud praecipuus fons est antiquae Persarum historiae, qualis ab orientalibus traditur, cognoscendae.

Mirum et singulare videri potest hoc consilium, historiam gentis validae et per *Asiam* celebratae carmine complectendi, quo in merum oblectamentum res abiret; sed cum iam *Schah-nameh* istud *Abumansoris* ad oblectationem, esset compositus, quod modo vidimus, excusatur quodammodo princeps, quisquis is fuerit, qui carmine, auribus gratiore, historias, quas poeticas esse facile sentiret, audire aut legere mallet. Variant auctores in nomine principis; alii a *Naser ben Ahmed*, qui a. 913-942. regnavit *d*), alii a *Nuh* aut iam ab *Ismail e*), alii a *Mansore II. ben Nuh* (987-94.) *Dekikio* poetae mandatam esse narrant historiae in carmen mutationem *f*), qui vtique *M.* aut duo *M.* aut viginti *M.* versus fecisse fertur *g*). Sed priorem rationem chronologia refellit, cum *Dekikius*, *Ferdusio* coaeuus fuisse videatur, aut certe aetate propinquus, quem is iuuenem a seruo occisum fuisse dicit. Fortasse tamen sub *Mansore II. Dekiki* iam floruit, et historiae carmine reddenda consilium ceperat *h*). Veri similior est communis fama, *Mahmudem Ghasnevidam* *Sec. X.* init. carmen *Schah nameh* fieri iussisse,

---

*d*) Wallenb. notice p 51.

*e*) *Annals of or. literat.* 1. p. 91. 92. Apud *Champion* praef. ad: the poems of *Ferdosi*, ad *Jacob Lais Soffaridam* res refertur; haud dubie falso.

*f*) *d'Ohsson hist. orient.* I. init.

*g*) *v. Hammer sch. Redek. Pers.* p. 48. *Champion l. c.* p. 20. *Giami ap. Stürmer antholog. pers.* p. 70.

*h*) Sic ipse *Ferdusii* in *introduc. carminis.* *Annals of or. liter.* I. p. 92. *Görres Heldenbuch von Iran* I. p. 2.



quod, declinante operam Ansario, principe poetarum in aula Mahmudis, Ferdusium perfecisse; extremam carminis partem *i*) ab Assedio, huius magistro et ciue, Thusensi, additam, cum Ferdusius (Ghasna clam profugisset, quod circa a. Hag. 421. p. C. 1030. factum esse docuit ill. de Hammer *k*). Sane in principe Turco, cui Persia non esset patria sed ditio armis subacta, qui praeterea, poetarum patronus esset, quibus audiendis, pro more temporis, valde delectaretur, in hoc, inquam non mirandum, quod historiam celeberrimae in Asia gentis carmine vestire et in meram oblectationem verti voluerit, inprimis quum iam singulis narrationibus carmine reddendis poetae huic rei praelusissent.

Etenim quum in Schah nameh historico collectae essent etiam narrationes de factis praeclaris et pugnis veterum heroum, facile videbant poetae, quorum magnum numerum in aula habebat Mahmud, has ex carminibus ex parte ductas et poetice tractatas, novum et egregium carminibus praebere argumentum, ne continuis elegiis et odis decantandis regis aures obtunderent. Igitur primus Dekikius, quem ad Samanidas extremos quidam referunt, pugnam Gustaspis et Ardschaspis carmine reddidit *l*); vnde fortasse fama orta ei a Nuh Samanida demandatum, vt integram historiam versibus redderet. Porro Assedi Tusensis, Ferdusii magister (استاد), Gerschap nameh scripserat *m*), similis argumenti. Ipse Ferdusius, specimen loco, pugnam Feridunis et Zohaci *n*), de Siavesch vltio *o*), de Rostemo et Kavus *p*), quod Sultano recitavit, de Rustemo et

---

*i*) 4000 Versus. Annals l. c. p. 103.

*k*) Gesch. d. sch. Redek. Pers. p. 54.

*l*) Annals of or. liter. I. 92. Haec inserta est carmini Schah nameh in Cod. Gottingensi.

*m*) l. c. p. 103.

*n*) Champion praef. p. 22.

*o*) Wallenb. notice p. 54.

*p*) Annals of or. lit. p. 92. vbi leg. Kavus pro Kamus.

Esphondiaro, quod carmen M. aureis remuneratus est princeps aliquis Rustemus Dilemita *q*). Ausarius denique, princeps poetarum, Rustemi de Sohrabo victoriam carmine reddiderat *r*). Apparet poetas eas fabulas delegisse, quae poeticam tractationem admitterent. Sed ex his speciminibus regi subnatum desiderium omnem historiam veterem carmine legendi, quam operam prudenter declinarunt Ansarius aliique poetae *s*). Omnino hoc tempore adeo ceperat regem rerum veteris Persiae studium, ut noua etiam, post Schah nameh historicum, subsidia colligeret. Hurferosius (Pherozes) aliquis e Nuschirvanis prosapia, sed exul, et ad Mahmudem profugus, regi historiam Persiae obtulisse fertur, quam is lubens recepit *t*); princeps porro Kermaniae *u*) notitias de regibus antiquis ab Arzab Zer-rin, viro docto Persa, scriptas mittebat. Firuzabadius quidam, a Sam Neriman, patre Rustemi genus ducens, plura de Sam, Zal et Rustemo, fideli traditione seruata a cognatis acceperat, quae regis iussu literis consignabat *x*). His an vsus fuerit Ferdusius non indicat prologus a Champione editus, qui tamen addit, regem acceptis ab Hurferosio annalibus magis etiam optasse, ut annales Persiae et facta heroum in seriem poematum heroicorum redactos legeret *y*). Quae si vera sunt, in his annalibus heroes commemoratos fuisse apparet.

*q*) Champion p. 26. 30.

*r*) l. c. p. 25.

*s*) Champion l. c. 27. 21.

*t*) Champion pref. p. 20.

*u*) l. c. sic lego pro: of Kernan.

*x*) Champ. l. c. p. 21. locum obscuriusculum adscribo: Ferozabad lineally descended from Saum Nuriman, the father of the celebrated Rustem, had received from his parents many oral traditions of Saum, Rustem and Zal, (which had been invariably handed from father to son, in the same manner as the songs of the Tartars) was employed by the Sultan to transcribe them.

*y*) Champ. p. 12.

Sed e quibus fontibus maxime hauserit Ferdusius, non satis constat. Putes eum imprimis vsum esse Schah nameh historico, sub Samanidis e variis auctoribus concinnato. Sed alia tradit celebrer de poetis persicis auctor Dewlet schah, scilicet Ferdusium, cum primum Ghasnam perueniret, secum attulisse historiam regum Persiae تاریخ ملوک عجم, et quatuor annos insumsisse comparandis his suis annalibus cum Basitan nameh aliisque chronicis, quae bibliotheca regia Ghasnensis praebet, adeoque X annis totum carmen perfecisse, praeter quatuor M. versus de Persia ab Arabibus expugnata, quos vnus noctis spatio addiderit Assedi magister, annum tum agens nonagesimum z). Ipse Ferdusius libri historici, e quo hauserit, in praefatione mentionem facit, sed tam parum dilucide, vt incertum sit, quemnam librum indigitet. Librum, ait, superesse, narrationum praeteriti temporis plenum, quas, adhuc memoria Moberodorum (magorum) seruatos, Pehlevianus quidam, congregatis vndique Magis, collegerit. Hunc librum, intelligentibus valde gratum, Dekikium versibus reddere coepisse, non autem perfecisse, fato praeuentum. Se a rege (Samanida puta) exoptasse librum; amicum tamen in vrbe patria (Thus) librum pehlevicum suppeditasse; sequitur laus Abu Mansuris, haud dubie eiusdem amici et fautoris poetae, qui in praefatione Championis Abu Mansur Afsagien dicitur, vrbi Thusensi praefectus a). Liber a Dekikio verti coeptus est Schah nameh historicum, sub Samanidis concinnatum, cuius originem poetice describit Ferdusii, admiscendo ea, quae de Basitan nameh traderentur, quamuis istud longe diuerso modo, e libris historicis fuerit adornatum, vt supra vidimus. Sic satis conueniunt haec cum Dewlet Schahi narratione modo adducta, et liber pehlevicus, ab amico suppeditatus, erit Chronicon regum quod poeta Ghasnam adtulit. Quod *Pehlevicum* dicit, non ita intelligo, quasi vetere

z) Annals of or. lit. I. p. 103.

a) Champion. Ferdosi p. 23.

vetere sermone persico scriptus fuerit, quem ista aetate fere ignotum non puto ita calluisse Ferdusium, Muhammedanum, ut libros eo scriptos intelligeret; sed simpliciter vetustum, quam significationem fere habet haec vox, ubi non additur زبان *زبان* lingua. Quisnam tamen fuerit hic liber a poeta adlatus, cuiusnam auctoris, plane nos latet, similiter ignoramus quosnam libros, quos in bibliotheca Chasnensi repertos comparasse fertur, maxime secutus sit. Vix dubitandum in his fuisse Schah nameh historicum, quod a rege (Samanida) iam exoptauerat. Sed quum tot alias narrationes fabulosas et poetice exornatas intertextat, quomodo historica a mythicis et fictis discernas? Fortasse iam in Schah nameh historico haec mixta fuisse supra indicauimus; Ferdusium autem ea maxime delegisse, quae poeticam tractationem admitterent et regis aures speciosis miraculis rerum percellerent, fas est opinari. Quam parum enim poetae Persae de historiae veritate aut probabilitate in carmine historico solliciti sint, docet Nizamii de rebus Alexandri M. carmen, Secander nameh, cuius argumentum dedit ill. v. Kennedy in *Transact. of the liter. Soc. of Bombay Vol. I. p. 86 sqq.* Seriores historiae Persicae scriptores, quibus nos fere vtimur, cum Schah nameh congruunt, ut Mirchondus, Khondemirus, Gehan Ara *b)*, carminis in oriente celeberrimi auctoritatem sequentes, quod etiam vans Kennedy, ut e bonis auctoribus ductum et a rebus alienis liberum, Thaberitae praefere videtur *c)*.

Equidem, post ea quae adhuc disputata sunt, non dubito opinari, et suspectam esse carminis Ferdusiani in historicis fidem, nec nobis res veterum Persarum, quales ab ipsis Persis traditae fuerunt, satis cognitae esse. Nondum enim collati sunt scriptores antiquissimi, qui ante Schah nameh Abu Mansoris et Ferdusii scripserunt. His demum consultis comparare licet Persarum et Graecorum de Persia

*b)* Vid. eorum recensum in Ouseley Epitome of the ancient history of Persia, praef. p. V sqq.

*c)* Bomb. transact. l. c. p. 110. 113.

*Classis Hist. et Philol. Tom. VI.*

narrationes. Tales auctores sunt Thaberita, Masudius, Hamzah Isphahanensis. Horum prior, *Abu Giasfar Mohammed Thaberita*, iam a Heg. 310. p. Chr. 922. mortuus, in magni operis historici parte prima etiam de Persia antiquissima egit, L annis ante Mansorem Samanidam et Schah nameh historicum collectum. Pauca ex eo excerptis v. Kennedy in actis Societatis Bomb. I. p. 112 sqq. *Masudius* (Abulkassan Ali) qui seculo X. medio floruit, tam in Chronico mundi, اخبار الزمان, quam in pratis aureis, celebri libro et variis notitiis referto, res veterum Persarum tractavit; et cum huius libri editio tertia a Heg. 345. (p. C. 956.) vulgata sit d), pluribus annis ante Schah nameh historicum, haud dubie vsus est ille Basitan nameh aliisque antiquioribus auctoribus. Idem de equitum s. heroum Persarum certaminibus singularem librum composuit, in quo fortasse de Rostemo Afrasiabo aliisque narrationes lectae fuerunt, a Ferdusio regum gestis intertextae. *Hamzah* denique historiam populorum العالم تاريخ a Heg. 350. (964) finiuit e), regnante in Chorasana Abdolmalec ibn Nuh, XL fere annis ante Mahmudis et Ferdusii tempora et ante Schah nameh historicum. Hausit igitur ex antiquis auctoribus, similiter vt Masudius; sed cautius et cum iudicio in IV. partes operam discreuit, quarum I. est breuissimus regum Persarum, secundum stirpes Pischdadiorum Keianidarum, Asganiorum et Sassanidarum recensus, nominibus tantum et regni temporibus indicatis. Ductus ille fortasse ex antiquis libris, qui praeter haec nihil referent. Pars II. eandem historiam exhibet cum commentario Musa ibn Isa Khesravi, (Chosrois filii) adeoque Persae gente, quod nomen prodit. III. Commentarius Behrami ibn Mordan Schah, Archimagi, (الموبد موبدان) in Chureh Schabur, regione Persidis. IV. brevis historia horum regum. His si vti liceret haud dubie clarius videmus in antiquitate Persica, nec difficile esset recentiora, e poetarum fictionibus et vulgi narrationibus ducta, discernere. Cuius insignis historiae quum exemplum extet vetustum et pulcherrimum in bibliotheca Lugduno-bataua, cuius indicem editurus est ill. Hamacker LL. OO. professor ac legati Warneriani interpres, spes est, virum doctissimum, in describendo isto codice eius argumentum cum orbe literato communicaturum esse.

d) Notices et extr. de MSS. fol. 68.

e) Reiske prodidagmata p. 230. Eichhorn Repertorium f. b. u. morgenl. Literatur III. 263 sqq.

---

A. H. L. HEEREN  
DE  
FONTIBUS GEOGRAPHICORUM  
PTOLEMAEI, TABULARUMQUE IIS ANNEXA-  
RUM, NUM II GRAECAE AN VERO TYRIAE  
ORIGINIS FUERINT.

PRAELECTA IN CONSESSU R. S. SCIENT. D. XVII. JUL. MDCCCXXIV.

---

Seruata sunt nobis ex communi temporum naufragio duo *Claudii Ptolemaei* opera; alterum mathematicum; *magna syntaxis* (*Almagestum* Arabes vocant), inscriptum; alterum *geographicum*; de quo hodie agere constitui. Inuestigatis enim a me, quantum quidem fieri potuit, *Geographicorum* Strabonis fontibus, similis disquisitione de Ptolemaeo instituenda videtur; in qua tamen non eadem prorsus via vt in illa de Strabone procedi posse, quilibet intelligit, qui indolem operis vtriusque scriptoris nouerit. Strabo enim, historicam rationem secutus, copiosam nobis descriptionem terrarum exhibet; Ptolemaeus, vt a mathematico exspectari poterat, omni fere descriptione neglecta, in situ regionum ac vrbiū definiendo omnem operam posuit. Postquam enim libro primo, praemissis nonnullis de vniuerso operis consilio, ac praecessore suo *Marino*, quem corrigendum sibi sumsit, elementa geographiae mathematicae breuiter explanauit, sex sequentibus libris, in quibus de singulis orbis terrarum partibus, earumque regionibus agitur, nuda exhibet regionum, montium, fluminum ac vrbiū nomina, additis tamen semper et longitudinis et latitudinis gradibus. Libro vero octauo ac vltimo, cui mappae annexae sunt, post breuem de earum con-

struendarum methodo expositionem, subiungit catalogum urbium praecipuarum in singulis terris ex mapparum ordine, addita vbiuis diei maximae longitudine, ad situm versus vnum vel alterum polum; ac distantias ab Alexandria vel ad ortum vel ad occasum, ad longitudinem definiendam. Cum igitur in nostra de Strabonis fontibus disquisitione, secundum librorum ordinem ad singula descendentes, quos vbiuis duces sibi praeceuntes habuerit inuestigare studeremus; minime eandem methodum nos apud Ptolemaeum, meras nominum series exhibentem, sequi posse, in oculos incurrit; cum in eo subsistendum sit, vt quibus praesidiis fultus Geographica sua composuerit, in vniuersum doceamus. Quod autem ad hanc operam suscipiendam imprimis me impulit, est opinio a viro, praepostero iam fato abrepto, nuper prolata; *Brehmero* nempe, Medicinae apud Lubecenses Doctore; quamuis artem salutarem, quod sciam, non exercuit, cum in antiquitatis potius studiis, quorum amore captus erat, delitesceret. Prodiere scilicet operis sui duo tantum priora volumina; *noua ex antiquitate reperta* inscripta *a*); quae vnice ex Ptolemaei Geographia deriuata sunt. Quamuis enim de fontibus Ptolemaei nulla ante eum, quantum quidem mihi innotuit, disquisitio instituta esset, communis tamen obtinuit opinio, Graecae eos vnice ac Romanae originis esse. Aliam tamen viam ingressus Brehmerus ostendere studuit, tradita Ptolemaei minime ex Graecorum riulis deriuata esse posse; sed Phoeniciae seu Tyriae originis esse. Ante oculos enim eum habuisse tabulas Geographicas Phoenicum, singulas terras singulatim exhibentes (*Ein Tyrisches Chartenwerk*), ex quibus non ipse tantum Ptolemaeus tradita sua hauserit; sed mappae quoque geographicae, operi eius subiunctae, ac Agathodaemoni cuidam, Mechanico Alexandrino, vulgo adscriptae, petitae sint. Tabulas autem

---

*a*) Entdeckungen im Alterthum, versucht von *N. H. Brehmer* M. D. Th. I. II. 1822.

haec Tyrias originem suam debere commerciis Tyriorum ac peregrinationibus tum terrestribus tum maritimis. Seruatam itaque nobis esse in Ptolemaei opere non Geographiam Graecam, sed potius Phoeniceam; exhiberi eo imaginem orbis terrarum, qualis Tyriis innotuerit. Esse vero hanc disquisitionem grauissimam, quis non videt? Si enim vera est Brehmeri sententia, noua omnino luce antiquitatem, et quidem remotissimam, illustrari, in aprico est. Cum enim Ptolemaei descriptio non se intra Romani imperii ac orbis terrarum Straboni cogniti fines contineat, sed vltimas quoque Asiae ac Europae regiones, ac non littora modo, sed mediterranea quoque satis accurate exhibeat, recte inde colligendum foret Tyrios nauigationibus suis maria haec frequentasse, terrarumque non oras modo adiisse, sed in interiora quoque earum penetrasse. Quare, si hanc Brehmeri hypothesin censurae subiicio, minime me superuacaneam, ac a studiis Societatis nostrae alienam operam suscepturum esse, autumo.

Antequam tamen ad ipsum propositum accedam, praemittenda sunt nonnulla, tum de primis Ptolemaei editionibus, ac codicibus, tum de tabulis geographicis iis subiunctis, vt inde, quae sit earum ratio, constet. Tractata quidem est haec quaestio iam quondam a viro erudito, *Raidelio*, in commentatione sua critico-litteraria de Claudii Ptolemaei Geographia, eiusque codicibus, tum manuscriptis, tum typis expressis, quae Norimbergae anno saeculi praeteriti 37 prodit *b*); supersunt tamen plura, maxime in tabulis, vbi in tenebris versamur. Equidem, cum nec codices manuscriptos, nec editionem quae, falso tamen, princeps dicitur, inspicere mihi liceret, vt lucem mihi quodammodo in his accenderem, adii virum doctissimum ac mihi amicissimum *Wachsmuthium*, Professore iam Lipsiensem cele-

---

*b*) Commentatio critico-litteraria de Claudii Ptolemaei Geographia eiusque codicibus, tam manuscriptis quam typis expressis, conscripta a Georgio Martino *Raidelio* V. D. M. Norimbergae 1737.



herrimum, cum anno praeterito iter litterarium per Germaniam faceret, vt codicum et editionum, quae in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi seruantur, notitiam mihi accuratiorem exhiberet. Annuit Vir humanissimus precibus meis; vt adeo, quae de hisce commemoranda habeo, ipsi debeantur. Quod tamen ad editiones atinet, nostra quoque bibliotheca Academica tam egregie iis instructa est, vt si vnam, modo commemoratam, excipias, nullam facile desideraueris.

Insignem fuisse Geographi nostri medio, vt vocant, aeuo, non apud Occidentis tantum populos, sed Arabes quoque, auctoritatem satis constat; et testantur codices operis sui in bibliothecis passim seruati. Inuenta itaque arte typographica mox illud prelis subiectum est; ac repetitae eius editiones Saeculo adhuc XV. prodire; non tamen graeco, quo ab auctore conscriptum est, sed latino sermone. Confecta enim erat versio eius latina a *Jacobo* quodam *Angelo*, Florentino, sub initium Saeculi XV. in vrbe patria claro; castigata porro et emendata in editis a Mullero Regiomontano, Pirschheimero Norimbergensi, et aliis; quo factum est, vt editiones Ptolemaei latinae minime inter se congruant, sed contextum, vt dicunt, longe diuersum exhibeant.

Haec itaque Jacobi Angeli versio, quando primum typis expressa publicam lucem viderit, quaeritur. Exstat quidem et Vindobonae in bibliotheca Caesarea, ac forte in nonnullis aliis editio Bononiae facta, quae annum prae se fert Saeculi XV. sexagesimum secundum. Ad calcem enim eius haec adduntur: *Hic finit Cosmographia Ptolemaei, impressa opera Dominici de Lapide, ciuis Bononiensis, anno MCCCCLXII, mense Junii XXIII. Bononiae.* At verò in subscriptione hac in annorum numero vitium latere iam ostensum est a viris bibliographiae antiquariae peritis, cum certum sit, Dominicum hunc a Lapide non ante annum 1472 Bononiae officinam suam aperuisse. Addo hisce aliud argumentum, ex praefatione exemplaris Vindobonensis mihi communicata, desumptum; quae haec

**habet:** *Opus utrumque (Geographica scilicet et tabulas) duo Astrologiae peritissimi castigarunt, Hieronymus Manfredus et Petrus Bonus. Extremam emendationi manum imposuit Philippus Beroaldus, qui Plinii, Strabonis reliquorumque id genus scriptorum Geographiam cum Ptolemaeo conferens, ut esset quam emendatissimus, elaboravit. Iam vero constat, Philippum hunc Beroaldum natum fuisse a. 1453; adeoque anno 1462 puerum fuisse novem annorum c). Non sine causa itaque Fabricius, Rainaldus, et post eos Panzerus notam anni 1462 typographi vel errori vel fraudi originem debere, ac pro ea duplicato denario numero 1482 legendum esse statuunt d).*

Principem itaque locum non occupabit haec editio; sed concedendus is erit editioni *Vicentinae*, anno 1475 excusae. Exhibet eam Bibliotheca nostra *Academica*. Est vero in folio minori, sine tabulis *Geographicis*. Praemittitur ei epistola dedicatoria *Jacobi Angeli ad Pontificem Alexandrum V*: ex qua discimus, *Manualem Chrysolorum Ptolemaei versionem incepisse quidem, non tamen absoluisse. Alexander autem V., cum ne integrum quidem annum inde a Maio a. 1409 usque ad Aprilem 1410 sedem papalem occupaverit, Jacobi Angeli versio hoc anno confecta seu saltem absoluta esse debuit. Curarunt editionem Vicentinam Angelus Vadius et Barnabas Picardus; qui tamen in Angeli versione nil immutasse videntur; sic enim illi ad lectores: Habes Lector, quantum per nos fieri potuit, accuratissimum librum; in quo si forte quid Te offenderit, non enim confidimus omnia ad unguem exegisse; ne propterea quae sunt recta asperneris. Ad calcem additur: En Tibi, Lector, Cosmographia Ptolemaei ab Hermanno leui Lapide Coloniense, Vicentiae accuratissime impressa, Benedicto Trivisano et Michaële Angelo consulibus MCCCCLXXV Idibus Septembris.*

c) Meine Geschichte der classischen Litteratur im Mittelalter 11. S. 114.

d) *Raidelius* I. c. p. 40.

Excipit hanc editionem proxima, a. 1478 *Romae* publicata; cuius splendidum exemplar possidet Bibliotheca Regia. Exhibet ea non minus versionem Iacobi Angeli; passim tamen emendatam. Demandata fuit haec cura, vt ex praefatione patet, Domitio Calderino; qui cum vetustissimo graeco codice, manu Gemisthi Philosophi emendato, latinos codices contulit. Prodiit autem ex officina Conradi Sveinheim, Germani, “*a quo formandorum Romae librorum ars primum profecta est.*” Est vero haec editio prima, quae mappis geographicis instructa est, de quibus mox sermo erit.

Subsecuta est hanc editio, quae a. 1482 *Vlmae* in Germania prodiit; ita vt Romana mappis ornata, a Nicolao Denis confectis; vt statim videbimus. Exstat huius quoque exemplum nitidissimum in bibliotheca Regia; a qua altera, quae quatuor annis post 1486 in eadem vrbe, impensis Iusti de Alburnis, Veneti, per prouisorem suum, Ioannem Reyer prodiit, parum aut nihil differt. Eodem vero anno 1482 alia iterum *Romae* excusa, a nonnullis commemoratur. Suspectam tamen eam esse, cum a nemine visa sit, adeoque ex numero editionum eiiciendam, iam apud Panzerum a. h. a. monitum est. Splendida autem exstat editio *Romae* a. 1490 arte et impensis Petri a Turre facta, cum 27 tabulis geographicis nitidissimis; ex editione anni 1478, modo commemorata, repetitis; quam non minus quam praecedentes suppeditat Bibliotheca nostra Aca-  
demica.

Et haec quidem sufficiant de editionibus latinis, quibus primum in lucem publicam productus est Ptolemaeus. Nam quod ad sequentes Saeculi XVI. attinet, de iis videndus est, praeter Fabricium, Rajdelius in commentatione supra laudata. Graece autem prima vice prodiit Geographus in editione *Basileae* a. 1535 apud Frobenium ab Erasmo curata; sine mappis; repetita a. 1546 Parisiis. Graece autem simul et latine *Amstelodami* 1605; ac in *Theatro* denique *Geographiae veteris Petri Bertii Amstelodami* 1619 duobus voluminibus vulgato, cuius primum Tomum occupat Ptolemaeus.

Post

Post Bertium autem nemo fuit, qui manum salutarem ei addiderit; ut adeo per integrum iam saeculum et quod excurrit, plane neglectum inaequat summi Geographi opus, si quid aliud dignum in quo expoliendo laborent criticorum ingenia.

Venio iam ad *mappas* seu *tabulas Geographicas*, quibus et codices manuscripti Ptolemaei, et editi, plerumque ornati sunt. Duplex autem hic oritur quaestio: altera, quae sint chartae, quas codices manuscripti exhibent; et a quo confectae? Altera: Quatenus haec conueniant cum illis editionum principum, quas modo commemorauimus, quatenus differant? Sic enim nos eo peruenturos esse arbitror, ut de mappis hisce geographicis certum iudicium ferre quodammodo possimus.

Inter codices manuscriptos, quibus tabulae adiunctae sunt, eminent maxime duo, alter *Viennensis* in bibliotheca Caesarea; alter *Venetus* in bibliotheca D. Marci. Vindobonae praeter eum in bibliotheca Caesarea seruatur quidem alius apud Comites *Apponi*, splendidissimus omnium, ac mappis quoque ornatus; olim cum Norimbergae in museo Ebneri exstaret, *Ebnerianus* dictus; quem accurate et copiose iam descripsit Raidelius *e*). Tabulae tamen ipsi adiunctae non sunt antiquae, sed recentes Nicolai Donis, de quibus mox agam. In censum itaque hic tantum venit codex Caesareus, membranaceus, forma maxima, scriptus Florentiae a. 1454 a Ioanne Thessalo Santariota. De mappis haec habet *Lambecius*: Cum antiquis tabulis graecis, diuersitate colorum adeo mirifice distinctis et illuminatis, ut splendidius et sumtuosius Ptolemaei Geographiae exemplar manuscriptum in nulla totius Europae bibliotheca exstare certo arbitrer. "Ad quae monet *Kellerus*: Esse quidem in hoc codice magnifica omnia, at in tabulis politioiorem artem utique desiderari. Descriptionem accuratiorem debeo *Wachsmuthio*. Est vero secundum eum Codex utique forma maxima; membran-

*e*) *Raidelius* p. 26.  
Classis Hist. Philol. Tom. VI.

inscriptus exquisitis. Mappae, paucis exceptis, duplex occupant folium; inter quae, ubi sese attingunt, spatium pollicis fere magnitudine vacuum relinquunt. Tabulae sunt 27 numero, una generalis, decem Europae, quatuor Africae, duodecim Asiae. Contextus libri octavi in parte auersa membranarum, mappas exhibentium, legitur. Colores mapparum non quidem sunt splendidi, attamen satis nitidi; aquarum virides, montium fuscii, terrarum albi; tractus montium lineis indicantur. Nomina magna cura, nec ineleganter scripta. Ornamenta in margine rara, sine ferarum et hominum figuris. In latere marginis orientali indicantur climata, parallelae, ac horae diei maximi; in boreali et australi meridiani. Figurae terrarum rudes quidem, satis tamen accuratae; nominum orthographia raro tantum vitiosa. In fine additur: *Ἐκ τῶν Κλαυδίου Πτολεμαίου Γεωγραφικῶν βιβλίων ὅκτω τὴν οἰκουμένην πάσαν Ἀγαθοδαίμων Ἀλεξανδρεὺς ὑπετίπωσε.* Quod totidem verbis, Raidelio teste, legitur quoque ad calcem Codicis Veneti; vtrumque igitur exhibere antiquas Agathodaemonis tabulas, non vero recentioris fabricae, inscriptione hac certum redditur. In aliis vero codicibus, num Agathodaemonis nomen additum sit, dicere non habeo. Exstare tamen illud quoque in pluribus aliis, ac visum a se esse in codicis Ptolemaei antiquissimi ex saeculo XI. fragmento, commemorat Raidelius f).

Ex codicum itaque auctoritate Agathodaemon hic tabulas Geographicorum Ptolemaei construxit. Iam si quaeris, quis ille fuerit, nil plane de eo constat, quam quae in subscriptione legitur, fuisse eum Alexandrinum mechanicum. Nam quod vulgo traditur, vixisse eum saeculo quinto, mera est coniectura, cum eum eundem putant cum Agathodaemone quodam grammatico, ad quem nonnullae exstant litterae Isidori Pelusiotae g).

f) Raidelius p. 78.

g) Fabric. B. G. III, p. 414.

noster se dicit Mechanicum, non grammaticum; eundem autem virum vtramque artem exercuisse, parum probabile est. Equidem cum Ptolemaeum lego, maxime quae capite I. et II. Libri *octavi* scribit, non mihi persuadeo, eum opus suum sine tabulis edidisse; vbi tabulas (*πίνακας*) enumerat, quas Europae, Lybiae et Asiae destinauerat; eodem numero ac diuisione, vt in codicibus exstant. Quare, cum quaestio de Agathodaemonis aetate ad solam coniecturam redeat, quidni ponamus, eum coaeuum fuisse Ptolemaei, eiusque in tabulis concinnandis adiutorem; quae sane opinio fuisse videtur primorum Ptolemaei editorum; qui in praefationibus semper de *Ptolemaei* tabulis loquuntur, Agathodaemonis ne nomine quidem commemorato.

Quisquis autem mapparum in codicibus exstantium auctor fuerit, siue Agathodaemon, siue Ptolemaeus ipse, siue vterque, altera iam superest quaestio: *quatenus tabulae editionum principum, Romanae scilicet anni 1478 quae prima mappis ornata est; et proxime post eam Vlmensis 1482 conueniant cum tabulis codicum?* Ex his enim, non autem ex codicibus manuscriptis, tabulas sequentium editionum, passim tamen immutatas et emendatas inprimis in Gerhardi Mercatoris editione fluxisse, constat. Ad liquidum quidem hanc disquisitionem accurata demum codicum cum editis collatione perduci posse, res ipsa docet. Nobis in eo subsistendum est, vt quae de mappis codicis Vindobonensis Caesarei nobis nunciata sunt, cum editis conferamus. Videndum tamen antea, quid de tabularum confectione editores in praefationibus dicant. Quod itaque primum ad editionem *Romanam* attinet, in praefatione haec legimus. "Conradus Swenheim mathematicis adhibitis viris quemadmodum tabulis aeneis imprimerentur edocuit; triennioque in hac cura consumto, diem obiit. In cuius vigiliarum laborumque partem non inferior ingenio ac studio Arnoldus Buckink e Germania, vir apprime eruditus, ad imperfectum opus succedens, ne Domitii Conradique obitu eorum vigiliae emendationes-

que sine testimonio perirent, neue virorum eruditorum censuram fugerent, immensae subtilitatis machinamenta examussim ad vnum perfecit." Ex verbis hisce nomina virorum, qui tabulas curarunt et emendarunt quidem discimus; non tamen quid in iis emendauerint vel immutauerint additur. Si tamen tabulas *emendarunt*, illud iam certum erit, non ab iis nouas esse confectas, sed codicum tabulas emendatiores editas. Iam si quae mihi de tabulis codicis Vindobonensis nunciata sunt cum aeri incisae editionis Romanae anni 1478 conferas, in his nomina quidem graeca latine exhibita sunt; chartae autem non coloribus obductae sunt. In reliquis parum differre videntur; nisi quod meridiani, qui sunt in codd. lineae rectae et inter se parallelae, in aeri incisae paulum sint inclinati, de quo in tabulis editionis Vlmensis loquar. Ceterum vero 1. Sunt totidem numero, vt in codice, nempe 27; et quidem eodem ordine, vt post tabulam generalem sequantur 10 Europae, 4 Africae, 12 Asiae. 2. Tabularum incisarum forma ac ratio eadem est, quae in codice. Quaeuis tabula bina occupat folia; in margine orientali addita sunt climata, parallelae et horae maximae diei; in boreali et australi parallelae. Figurae terrarum num accurate repetitae sint ex tabulis codicis, sine comparatione definire non audeo. Certa tamen emendationum vestigia in editis non deprehendo. Errores tabularum codicis v. c. in figura Scotiae, peninsulae Indiae citerioris, ac Taprobanes iidem sunt in editis; Thamesis fluius deest in his, vt in illis. 3. Nomina vrbiū, fluminum, populorum eadem sunt, quae in Geographia Ptolomaei; pauca, quae in mappis codicum desunt, ex his suppleta videntur; recentiora addita sunt nulla. Quae cum ita sint, donec comparatione accurata mapparum, codicis cum editis a. 1478 instituta, contrarium probetur, sic statuo: mappas huic editioni additas, esse apographa mapparum codicis, nominibus tamen graecis latine redditis, ac nonnullis ex Ptolemaeo ipso suppletis; meridianis vero lineis quidem rectis, attamen paulo inclinatis.

Venio iam ad mappas editionis *Vlucensis* A. 1482. Instructa est ea mappis *Nicolai Donis*, Germani, ex ordine Benedictinorum in coenobio Reichenbach; non tamen aeri, vt illae prioris editionis, sed ligno incisis, et coloribus obductis, qui in illa deerant. Insculptae autem sunt, teste superscriptione, a Iohanne quodam *Schnitzer de Arnshelm*. Dedicauit eas *Donis* Papae Paulo II; qui ab a. 1464 vsque ad annum 1471 sedem tenuit; vnde certum est, mappas intra hosce annos ab eo esse confectas. In praefatione autem dedicatoria de earum constructione haec legimus, quae ipsius eius verbis apponam;

“Cum quae summo ingenio exquisitaque doctrina *Ptolemaeus* Cosmographus pinxisset, in his aliquid nouari attemptauimus, non me fugit, *Beatissime Pater*, fore vt hic noster labor in multorum reprehensionem incurreret. Omnes enim, qui hanc nostram picturam, quae his tabulis continetur, viderint, geometricae praesertim rationis ignari, ab ea, quam *Ptolemaeus* edidit, paululum abhorrentem, certe nos vel imperitiae vel temeritatis arguent. Nam plane nos aut ignorasse quid egerimus, aut temere ausos esse tantum opus contaminare, affirmabunt; cum aliqua ex parte illud immutatum cernent. Non enim sibi persuadere poterunt, nec fas esse existimabunt, vt tantum virum, quantus is certe fuit, si quis alius pingendi orbis terrarum melior exstisset, is eum fugisset; cum is solus fuerit, qui tamen inter multos, qui ante se clauerunt excellentes cosmographos modum videret, quo situm terrarum omnium in tabulis primus pingeret. At si qui erunt, qui non omnino geometricae siue cosmographiae expertes sint, quique ipsum *Ptolemaeum* saepius legerint, ac picturam deinde nostram placata mente contemplauerit (sic), hi certe nos aliqua laude dignos, non reprehensione, vt illi, putabunt. Prospicient enim, nos opus ita difficile et arduum suscepisse, ac sic egregie ad exitum perduxisse, vt illud mirari cogantur; praesertim cum nulla in re nos a *Ptolemaei* intentione, licet a pictura paulum deuiasse,



comperient. Quod ut iam ita esse plane perspicere possis B. P. quaeso, quid illi dicant, et quid nos fecerimus, parumper attende. Ptolemaeus quidem, quod facile ex eius intellexerim scriptis, duplicem pingendi orbis terrarum rationem esse tradit. Vnam enim esse asserit, cum pro circulis, (ut eius verbis utar) rectas lineas facimus particularibus in tabulis meridianos ipsos non inclinatos et flexos, sed inuicem aequae distantes adnotamus. Alterum vero esse testatur, cum eius formam ubique flexis et inclinatis lineis, ut ipsius terrae situs ratio exigit, et non rectis exprimimus. Harum porro rationum, etsi posteriorem magis approbat, utpote artificiosorem et subtiliorem, superiorem tamen in pictura secutus est; si eius est, quae in antiquis exemplaribus circumfertur pictura; non procul a veritate esse affirmans, si quis in pingendo orbe pro circulis ut modo diximus, rectas lineas fecerit. Nos autem B. P. cum per otium eius scripta legeremus, quia a professione nostra non abhorrebant, et in eum locum, qui est in primo eius libro circa finem incidissemus, ubi praecipit magis esse tenendum in pictura quod sit equius ac serius quam quod sit facilius debiliusque, repente hac lectione admoniti, cogitare cepimus, quemadmodum nos aliquid gloriae compararemus. Rati enim nobis oblatam esse occasionem, uti aliquod industriae nostrae monumentum exstaret, statim picturam orbis prope ratione aggressi sumus, quae apud illum approbatio videretur. Nam et pro circulis inclinatam lineas non aequae distantes sigillatim omnes, ut ipse fieri monet oportere, ubi opus fuit fecimus; et locorum situs inter parallelis incidentes ex utrorumque rationibus coniectauimus, et quo facilius ratio distantiae cuiuslibet loci, quae per lineas aequae distantes discerni non satis plane poterat, certior exstaret, milliarium continentiam cuiuslibet gradus longitudinis quibusdam parallelis singularum tabularum adscribere non recusauimus. Quid dicam, quod cum in antiquorum exemplarium, tam graecorum quam latinorum pictura discerni non possit, cuius formae et quantitatis quaelibet insularum

sit, quae proprias descriptiones non habent, et quot aut qui in quacunque regione vel prouincia populi vel gentes, oppida, vrbes, flumina, portus, lacus et montes continerentur; et sub quo caelo posita, aut in quam partem vergant, nos quaedam certa ex illis, non tamen omnia, sed cuncta, quae a Ptolemaeo ipso, etiam in scriptis suis annotata sunt, ita distinximus, ac lineis quibusdam punctim signatis vallauimus, ipsas etiam insulas minores ad propriam formam praeter Ptolemaeum redegimus, vt quibus etiam imperitus facile discernere valeat. Atque etiam ipsam formam picturae, quae certe apud alios vastissima erat, et communem librorum excedebat rationem, ad eum modum redegimus, seruatis diligentissime omnium locorum dimensionibus, qui cunctis sit posthac illum intueri volentibus gratior futurus. Reliqua vero illius tantū viri, vt prius erant intacta reliquimus." Denique se Hispaniae, Italiae recentioris ac Europae septentrionalis, Ptolemaeo incognitae, nouas quoque tabulas subiunxisse.

Ex hac itaque praefatione clarum erit: 1. Nicolaum Donis, cum mappas suas conficeret, illas Ptolemaei quidem pro fundo posuisse, nec temere ab iis recedere voluisse; plura tamen in iis immutasse. 2. Cum scilicet in mappis Ptolemaei meridiani lineae essent non modo rectae, sed quoque parallelae, eum lineas hasce versus polum paulo inclinasse, diminutionis graduum longitudinis ratione habita, eorumque mensuras milliarium numero adiecto indicasse; vt formae terrarum propius ad veritatem accederent. 3. Eum insularum figuras, in mappis Ptolemaei passim; non satis expressas, pro viribus correxisse. 4. Denique eum tabulas codicum, cum solitam formam magnitudine excederent, ad paulo minorem formam redegisse.

Quae cum ita sint, iam in aprico est, quatenus Nicolai Donis mappae illas Ptolemaei exhibeant. Simul autem certum est, tabulas in editis duplicis esse originis, cum illae editionis 1478, quae in editione Romana 1490 repetitae sunt, ante illas Nicolai Donis

confectae sint. Falsa itaque est opinio, quae hactenus obtinuit, omnes tabulas in editis Ptolemaei ante Gerhardum Mercatorem ex illis Nicolai Donis fluxisse. Quod ad illas Mercatoris, eius editioni 1578 additas attinet, constat eas non ex codicibus, sed ex recentioris aeni traditis esse emendatas; quare plura de iis addere non huius loci foret.

Hisce praemissis accedo iam ad quaestionem primariam: *Quatenus fides adhibenda sit Brehmeri sententiae, fontes Ptolemaei non esse graecae sed Tyriae originis; in qua excutienda ita verabor, ut tum in argumenta generalia inquiram, a Brehmero ad sententiam suam firmandam prolata; tum vero de longinquiribus terrae partibus, India, Arabia, Aethiopia ac borealibus Europae et Asiae regionibus, quomodo in notitiam Ptolemaei et ante eum Marini peruenire potuerint, disquiram, et meam sententiam proponam.*

Argumenta itaque, quibus Brehmerus hypothesin suam firmare conatur, haec fere sunt:

*Primo:* Marinum ipsum satis clare innuere, sese in construendis mappis suis vsum esse tabulis antiquis *h*). Prouocat itaque ad ea, quae apud Ptolemaeum L. I. cap. VI. legimus; quae haec sunt:

“Marinus itaque Tyrius, nouissimus eorum, qui nostro fuerunt tempore, parti huic (geographiae emendandae) summo studio incubuisse videtur. Patet enim plurimas eum historias euoluisse, praeter eas, quae prioribus quoque temporibus cognitae fuerant; ac scripta fere omnium, qui ipsi praecesserant, diligenter euoluisse, et conuenienti emendatione ea, quae minus decenter, tum a priscis illis, tum a semetipso credita fuerant, recensuisse, quemadmodum ex editionibus correctionis ipsius tabulae geographicae, nam plures sunt (editiones scilicet), spectare licet. Proinde si cerneremus  
nihil

---

*h*) Brehmer I, S. 25.

nihil in vltima sua deesse compositione, sufficeret nobis ex solis eius commentariis orbis designationem perficere, ac nullum alterius in hac re laborem susciperemus. Verum cum manifeste liqueat, quaedam eum cum minus fide digna perceptione collegisse, saepius praeterea in descriptione nec subsidiorum quae ad manus essent, nec dimensionum debitam curam habuisse, iuste moti sumus, vt viri huius susceptum negotium, quantum operae pretium arbitrabamur, ad rationabiliorem ac vtiliorem reduceremus modum."

Verba haec Ptolemaei, si quid video, tantum abest vt confirmant Brehmeri hypothesin, vt oppositam potius rationem probent. Ptolemaeus enim, dum praesidia commemorat, quibus vsus fuerit in geographia sua ordinanda Marinus, de libris tantum scriptis, tum antiquis, tum recentioribus, itinerariis scilicet, quae infra recensebimus, loquitur, a Marino diligenter inspectis; tabularum autem geographicarum, quas ante oculos habuerit, nulla apud eum mentio iniicitur. Nam *πίναξ γεωγραφική*, de qua loquitur, aperte est tabula a Marino constructa et emendata; non vero tabula antiqua. Marinus scilicet, quod ex alio Ptolemaei loco discimus, tertia vice commentarios suos geographicos emendatos ediderat *i*). Tabulae autem iis subiunctae primam tantum et secundam editionem ornabant; cum vel aliis negotiis impeditus, vel morte praeuentus esset, quo minus tertiae editioni iterum iterumque correctas eas adderet. Quam ob rem docere sese velle tradit Ptolemaeus, quomodo ex libris scriptis seu secundum eos mappae construendae sint. In his autem nihil est, quod priscarum a Tyriis confectarum mapparum vsum indicare possit.

*Secundo:* Fieri omnino non potuisse vt secundum solos nominum catalogos regionum et vrbiū et situs et figurae tam accurate exhibitae sint, vt in tabulis Ptolemaei factum esse videmus; nisi prototypos earum Marinus et Ptolemaeus ante oculos habuis-

*i*) Ptol. Geogr. I, 6. 17.

*Classis Hist. et Philol. Tom. VI.*

sent *k*). Supponit itaque Brehmerus mappas a Nicolao Donis confectas, (nam secundum has tantum indicare potuit, cum codices non inspexerit); accuratas esse tabularum, quas codices exhibent apographas; quod tamen non ita esse, supra docuimus. Attamen quomodocunque haec sese habeant, illud libenter concedimus Brehmero sine prototypis ex solis locorum indicationibus terrarum figuras non ita veritati conuenienter a Marino exprimi potuisse. Nec vero omnino mapparum prototypos ipsi defuisse contendimus. Iam enim longe ante Marinum tabulas geographicas, vel omnem terram habitatam, vel singulas eius partes exhibentes confectas fuisse, minime in dubium vocamus. Fuere primum tabulae ex aere conflatae; quas apud Milesios in usu fuisse constat ex Herodoto *l*). Cognitas autem eas fuisse Phoenicibus, quis in mutuis horum populorum commerciis, etsi nulla expressa earum mentio a scriptoribus facta sit, dubitet? Excelluisse praeterea Tyrios in operibus caelatis ex aere factis, satis constat ex Iudaeorum libris sacris, et Salomonis, qui in exornando templo ope eorum utebatur, historia. Apud Romanos autem, inprimis post Augusti et Agrippae tempora, qui Plinio teste orbem terrarum in porticu depictum publice spectandum exhibuit *m*), mappas quoque geographicas membranis pictas circumlatas esse, testem habemus Suetonium *n*). Quis itaque neget et Marinum et post eum Ptolemaeum in suis tabulis conficiendis mappas ita depictas ante oculos habuisse? Tyrias autem eas vel omnino remotae antiquitatis fuisse, nihil est quod probat.

---

*k*) Brehmer I. S. 37 sq.

*l*) Herod. V, 49. — Saeculo quoque decimo quinto tales tabulas in usu fuisse, docet Planiglobium Musei Borgiani; a me explicatum in *Commentat. Soc. Reg.* Vol. XVI.

*m*) Plin. III, 1.

*n*) Sveton. Domitian. 10.

Non magni admodum momenti *tertium* mihi videtur esse argumentum, quo nititur Brehmerus; multa nempe nomina, quae apud Ptolemaeum exstant, originem prodere Tyriam o). Quamvis enim lubenter hoc ipsi concedimus multa regionum fluviiorum ac insularum nomina primum iis indita esse a Phoenicibus, quae postea ad Graecos peruenerint, minime tamen inde sequitur, Ptolemaeum ea ex mappis Tyriis petisse.

Superest *vltimum* Brehmeri argumentum, maioris vtiq̄ue ponderis. Desumptum vero illud est ex insigni eruditionis geographicae apud Ptolemaeum ambitu, et accurata simul, quatenus illa saltem aetate exspectari poterat, definitione situs urbium ac montium et fluminum p). Si enim Ptolemaei orbis notitiam cum Alexandrinorum Eratosthenis et Hipparchi, et Strabonis quoque contuleris, non sine miratione videbis, quanto longius illa pateat. Vixit tamen et scripsit Eratosthenes in Alexandria; praefectus erat bibliothecae Regiae; instructus itaque omnibus, quae illa offerebat praesidiis. Pressit eius vestigia Strabo; ac si pauca exceperis, de quibus in commentationibus meis super eum locutus sum, eius geographia intra eosdem fines sese continuit. Asia borealis ipsi adhuc incognita mansit; mare Caspium habet pro sinu Oceani; in India citeriori cum Taprobane insula pauca commemorat nomina; Indiae vltioris ne nomen quidem exstat. In Arabiae peninsula pauca repetit ex Aelii Galli Aegypti praefecti, qui agmen eo duxerat, narratis; Aethiopiae nouit fere tantum littora; interioris Lybiae nil vltra Ammonis templum et oraculum. Europam autem septentrionalem, inde ab Albi fluuio vsque ad mare Caspium, prorsus sibi incognitam esse, ipse profitetur. Quam longe aliter Ptolemaeus? Prodit in Oriente apud eum India; nouit non tantum littora eius, sed quoque interiora. In Taprobane insula tum portus tum vrbes

o) Brehmer I, S. 24.

p) Brehmer I, S. 15 sq.

ac civitates quas continebat, enumerat. India quoque vltior non ipsi incognita mansit. In Arabiae peninsula tum orae, tum interiora repleta sunt nominibus. Littoris Aethiopiae accuratam habet notitiam; nec mediterranea Lybiae vacua sunt vrbium et gentium nominibus. Partes quoque orbis septentrionales, ex tenebris emergunt. Accuratam habet peninsulae Cimbricae notitiam; enumerat populos Sarmatiae Europaeae, i. e. Poloniae, Borussiae, partim quoque Russiae. Mare Caspium non amplius habet pro sinu Oceani; ac vltra illud ingentes adhuc terras patere non ignorat. Quae cum ita sint, oritur iam quaestio: *num saeculari fere spatio, quo aetas Marini et post eum Ptolemaei a Strabonis aetate disternatur, ita amplificari potuerit orbis terrarum notitia, vt eam apud Ptolemaeum conspicimus; an vero admittenda sit Brehmeri sententia, eum non ex monumentis sui aevi, et quod proxime illud praecesserat, sed ex longe antiquioribus Tyriorum tradita sua hausisse?*

Facilis foret ad haec responsio, si scripta autorum huius aevi nobis seruata essent. Communis vero fuit, si Plinium exceperis, reliquorum strages; eorum inprimis, qui Antoninorum saeculo florere; quo maximum damnum perpassi sumus. Plura tamen supeditat historia periodi illius, quibus, quos fontes adire potuerint Marinus et post eum Ptolemaeus, quodammodo declaratur.

Primo enim sub Augusto iam geographiae studium viguisse, ex iis patet, quae supra de Agrippa monuimus. Depingendum ille curauit ad itinera legionum secundum stationes definienda orbem Romanorum; non tantum in porticu, sed accuratius quoque in mappis, quas quidem (plures enim fuisse per se clarum est), correctas subinde ac amplificatas fundum fuisse tabulae, quam Peutingerianam vocant, quae hodie adhuc superest, docte ostendit *Mannertus*, nuperrimus eius editor *q*).

*q*) *Tabula Peutingeriana* emendata et noua *C. Mannerti* commentatione instructi 1824.

Sub Augusto vero eiusque successoribus Romanos arma sua longe lateque circumtulisse, ac bellis hisce terrarum notitiam insigniter auctam esse, nemo ignorat. Agmen ducunt bella Germanica, quae non modo gesta sed descripta quoque sunt a pluribus, imprimis vero a Plinio celeberrimo opere, quod temporum iniuria nobis inuidit. Sub Claudio imperatore initium cepere bella Britannica, quae vsque ad Domitiani tempora durarunt, quibus insula Britannica ab Agricola Tacito teste circumnavigata, ex tenebris emersit. Accesserunt ad haec in Oriente bella Parthica, tum a Corbulone sub Nerone, tum a Trajano gesta; a quo ipsae metropoles Parthorum occupatae sunt; in Europa vero bella Dacica, et scriptis et monumentis celebrata; quibus regiones vltra Danubium sitae innotuere; ac magna ex parte in formam prouinciae Romanae redactae sunt.

Non tamen bellicis tantum expeditionibus, sed commerciis quoque et nauigationibus insigniter tunc aucta fuit orbis terrarum cognitio. Postquam enim Aegyptus Romanis parebat, commercia Indica ac nauigationes maris rubri mirum in modum auctas esse, cum quotannis non singulae naues, sed integrae classes ex Arabico sinu soluentes Indiae oras peterent, ex Plinio nouimus r). Quae si tecum reputes patet Marinum iam, cum opus suum componeret, non mediocribus subsidiis instructum fuisse. Noua tamen accessere eo temporis spatio, quod Ptolemaeum a Marino distinguit.

Complectitur vero fere haec periodus Hadriani et Antonini Pii imperium. Hadrianus enim cum ad illud accederet, omnem curam ad pacem cum Parthis a Trajano turbatam, non modo restituendam, sed quoque confirmandam et stabiliendam intendit. Bellum enim Parthicum ita finiuit, vt iis sponte prouincias, a Trajano iis ademptas, redderet s). Sic autem fieri potuit, vt et sub eo,

r) Plin. I, 2. 6.

s) Aelin. Spartianus Hadriano Cap. V.



et sub Antonino Pio per quadraginta annos, vsque ad Antonini Philosophi tempora, amicitia inter Romanos et Parthos duraret. Inuidit nobis fatum iniquum quidquid de Antonini Pii, optimi principis, imperio, si solum Iulii Capitolini commentariolum exceperis, litteris mandatum erat. Fuere tamen haec tempora felicissima, quae imperium Romanum vidit; constabat honor suus artibus pacis; commerciis maxime tum terrestribus tum maritimis, quibus haud parum amplificata est orbis terrarum notitia. Quod enim ad terrestria attinet, testes habemus rudera urbium splendidissima in interioribus Syriae ac Arabiae Petraeae, Palmyrae, Heliopolis, ac quae nostra demum aetate iterum innotuerunt, Petrae, Gerasae, Philadelpheiae et aliarum. Quamuis enim hae urbes conditae fuerint longe ante haec tempora, templorum tamen et porticum architectura, ac inscriptiones passim in iis obviae satis docent, florantissimam earum periodum sub Antoninis fuisse. Est vero situs harum urbium talis, in mediis nempe desertis arenosis, ubi nulla unquam terrae cultura fuit, aut esse potuit, ut commerciis tantum efflorescere potuerint. Arabicae nempe et Indicae mercaturae, cum durante pace inter Romanos et Parthos per mediterranea Asiae vias sibi quaereret, emporiis opus erat, ubi mercatorum et camelorum agmina vires reficerent, et mercium venalium fora sibi aperirent. Navigationibus autem simul Aethiopiae et Indiae littora petita esse, auctorem habemus ipsum Ptolemaeum, ad testimonia nauigatorum in traditis suis, ut infra videbimus, prouocantem, qui Indicum mare frequentabant.

Neque tamen ex sermonibus tantum et colloquiis cum nautis et peregrinatoribus narrata sua hauserunt Marinus et Ptolemaeus, sed scriptos quoque commentarios mercatorum et viatorum ante oculos habuere. Seruatus nobis est ex Antoninorum saeculo, ni fallor, insignis ille periplus maris Erythraei, qui sub Ariani nomine prostat; accuratam descriptionem mercaturae et navigationis Indicae, qualis illa aetate erat, exhibens. Ptolemaeum quidem

hunc ipsum commentarium in manibus habuisse, nihil est quod probat. Discimus tamen ex eo, non alienum fuisse a moribus peregrinatorum illius aetatis, tales conficere itinerum descriptiones, siue ad commoda aliorum, siue vt ipsi noninis famam eo pararent. Quod ad Marinum attinet, ipse Ptolemaeus testatur, eum, quae de terris australibus, aliisque remotioribus narrauerat, magna ex parte ex itinerum descriptionibus, quae et terra et mari suscepta erant, depromsisse. Nec nomina scriptorum, quorum fidem secutus erat Marinus, (etsi praeter nomina nil de iis constat); plane nos ignorare passus est Ptolemaeus. Sunt ex his Diogenes quidam, Indici maris nauigator *t*); Dioscorus porro *u*) et Theophilus quidam *x*), qui Azaniam in Africae littore petere solebat. In sinu vero Gangetico, seu nauigatione a Cattigara ad Chersonesum auream Alexander quidam Macedo *y*). Interiora Lybiae Septimius Flaccus et Julius Maternus, qui ibi militauerant, descripserant *z*). In Hiberniae situ Philemonem quendam consultauerat *a*); stationes autem viae ad turrin lapideam, et inde in Sericam ex Titiano, qui et Maës dicebatur, mercatoris filii, qui ministros suos eo miserat notatis depromserat Marinus *b*). Ptolemaeum autem, cum quae peruerse tradita erant a Marino corrigere propositum sibi haberet hoc ex fide recentiorum vel scriptorum, vel testium ocularium fecisse, ipsis eius verbis declarabimus. Sic enim ille L. I. Cap. 17.: “Quaedam vero (ex traditis Marini) ne nunc quidem praesentibus conueniunt relationibus, velut de Sachaliti sinu. Si quidem omnes plane, qui per loca illa nauigarunt, vnanimiter no-

---

*t*) Ptol. I, 9.

*u*) Ptol. I, 14.

*x*) Ptol. I, 9.

*y*) Ptol. I, 14.

*z*) Ptol. I, 8. 10.

*a*) Ptol. I, 11.

*b*) Ptol. I, 11.

his adstipulantur, etiam ii, qui hinc illuc (in Indiam), nauigarunt, et qui multo tempore in locis illis versati sunt, nec non ab iis etiam, qui inde ad nos adplicuere, a quibus et alia circa Indiam et eius prouincias particularius didicimus, etiam regionis illius interiora vsque ad auream Chersonensam et inde ad Cattigara vsque. Siquidem in hoc concordant nauigationem illorum, qui eo tendunt, ad solis ortum esse, tempus autem nauigationum irregulare et inordinatum existere; quodque vltra Sinus Serum iaceat regio et metropolis; ac quae his orientiora, terra sit incognita. Et quod non solum inde ad Baetra iter sit per turrim lapideam, sed in Indiam quoque per Palibothra. Porro et a mercatoribus, qui ab Arabia felici ad Aromata et Azaniam nec non Rhapta nauigant, certiores reddimur nauigationem illam non exactè ad meridiem esse."

Sufficere haec arbitror ad démonstrandum nec Marino in mapis suis construendis ac commentariis geographicis conscribendis, nec Ptolemaeo in iis emendandis opus fuisse, quod vult Brehmerus, antiquis Tyrriorum tabulis geographicis, sed sui aevi scriptores et peregrinatores sat ampla praebuisse vtrique subsidia.

---

# MARMORA PALMYRENA EXPLICITA.

COMMENTATIONE

SOCIETATI REGIAE SCIENTIARUM GÖTTINGENSI

IN CONSESSU D. XIII. NOVEMBR. AN. MDCCCXXIV. HABITO

TRADITA

AB AUCTORE

J. O. G O D O F R. E I C H H O R N.

---

**I**n relationibus de libris novis, quae sub Vestris, Sodales, auspiciis eduntur, data vna atque altera occasione meum de sensu quarundam inscriptionum orientalium antiquiorum quaecunque iudicium interposui *a*). Quae mea in his tricis enodandis ratio, qua fortuna nescio, suffragium tulit virorum in hoc litterarum genere exercitatissimorum, vt adeo tam publice quam priuatim reliqua etiam, quae ex antiquitate Semitica supersunt, monimenta titulis inscripta curis meis commendarent. Quod cum per se honorificum est, tum consilium videri debet, vitae meae, ad longos annos in litteris perductae, rationem habens. Saepissime enim in senectutis imine ac vestibulo constitutos fugere solet, secum vna consenuisse virilis aetatis vigorem et acumen, vt raro suo se modulo ac pede metiantur, tardiorisque sui et animi et ingenii motus, qui cum corpore grauior factus est, vix conscii sibi sumant tractanda, quae

---

*a*) Göttingische gelehrte Anzeigen 1819. p. 1677. 1824. p. 1417.

operis coepti sollicitae cum viribus suis comparationi parum respondeant. Hinc acutos illos virium et ingeniorum aestimatores ab argumentis multae lectionis et viuidae phantasiae hoc suo consilio auocare me voluisse arbitror ad alia, quae uoculas et syllabulas rimando absoluntur, utpote aetati meae conuenientiora. Quibus igitur obtemperaturus inscriptionibus, quotquot mihi innotuerunt, titulos *Palmyrenos* exhibentibus, cum bona Vestra, Auditores, uenia hodie in consessu Vestro vacabo.

Vt autem ego a Viris amicissimis hoc quidquid est operae imponi mihi passus sum, ita vicissim illi patiantur peto, ut a refutandis aliorum de his inscriptionibus coniecturis abstineam. Quo enim longius in litteris vixi, eo alienior factus est animus meus a notandis virorum doctorum erroribus, quandoquidem usu et experientia didici, casui et fortunae potius, quam ingenio et eruditionis copiae saepius rectiora deberi aut uerisimiliora de rebus ad antiquitatem pertinentibus iudicia. Sapimus ut plurimum alieno periculo. Qui nobis priores uiam aliquam ingrediuntur, nec facile eam et planam inueniunt nec certi exitus, adeoque facile erroribus implicantur, quam uero si diuturna triuerit consuetudo, quis quaeso nisi damnis aliorum laeto et maleuolo animo casus illos fatales repetat? aut ambitioso eos a se euitatos iactet? Equidem igitur in hac mea causa laudibus tantum celebrem Barthelemyum Franco-Gallum et Swintonum Britannum, qui singulari arte et acumine litterarum ductus *Palmyrenos* antea incognitos primi extricarunt ita, ut adeo acutissimus *Alphabetorum Semiticorum* scrutator, U. F. Koppus, nostras, palmam illis ultro offerret. Absit autem, ut partem laudis ijs debitae detrahाम, quod non plenam tenebris *Palmyrenis* intulerint lucem: et Barthelemyo quidem uitio uertam, quod sensum inscriptionum, quas legere docuit, intactum plane reliquerit; Swintono autem, quod in legendis et explicandis illis nonnunquam a uerisimili aberrauerit. Quidni potius ingenue fatear, me eius erroribus, in uiam, si quidem inuenerim, rectam deductum

esse? Adeo a censurae librorum de rebus Palmyrenis scriptorum molestia me liberavit eruditissimus Ant. Theodor. Hartmann, Professor Rostochiensis, qui eorum catalogum diligentissime consignavit *b*).

Inscriptiones autem textum exhibentes Palmyrenum, quotquot mihi innotuerunt, incidisse videntur in florentissima reipublicae Palmyrenae tempora. Quanquam enim plurimis ante Christum natum seculis Palmyra non potuit non emporium celebre esse, quod Indicas Arabicasque merces per Asiam ad Romanos vsque deportaret; scriptores tamen nobis superstites florem eius et diuitias ante Antonii tempora commemorandi occasionem nullam habuisse videntur. Erat illa sui nominis obscuritate intra arenas suas beata. Tandem nomen eius vna cum corrasis diuitiis inclaruit. Antonius igitur, equites suos remuneraturus, Palmyram eos ablegauit, vt eam diriperent, leui (vt Appianus ait lib. 5. c. 9.) crimine in speciem obiecto, quod quum essent in Romanorum et Parthorum confiniis, calido consilio cum vtrisque facerent. At Palmyreni hanc rem comperti, translatis suis diuitiis trans Euphratem et dispositis in vltiore ripa ad arcendos, si qui traicere conarentur, sagittariis, diuitias suas subtraxerunt direptioni. Equites enim Romani vacua inuenta vrbe (si Appiano credimus) inanes, et ne manu quidem conserta cum hostibus, reuersi sunt. Sub idem tempus, in hac rerum affluentia, splendidissimum, quod Palmyrae exstabat, Solis templum exstructum fuisse videtur. Atque illud ipsum est, ex quo monumenta publica titulis Palmyrenis inscripta initium ducunt.

---

*b*) In libro in lingua patria conscripto: *Oluf Gerhard Tychsen, ein Denkmal der Freundschaft und Dankbarkeit von A. Th. Hartmann.* Vol. 2. P. 2. p. 227 - 289.

Ad annum Seleuc. 360. Chr. 49.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. III. Chandleri Marmora Oxoniensia p. 9. *U. M. Kopp* Bilder und Schriften der Vorzeit. T. II. p. 133. Swintoni' explicat. dupl. exstat, prior in Philos. Transact. T. 48. P. 2. p. 717. coll. num. III. tab. 24., posterior in Chandleri Marm.

Ox. l. c.

ירח אלול שנה ש"ס  
 -עז חמנא רנה ועלתא רנה)  
 (ע)ברו וקרברו לשמש וזביר  
 בני מלכו בר יריעבל בר נשא  
 די מתקרא בר עברבל די (מ)ן  
 פחר בני מגרת לשמש  
 אלה בית אבוה(י)ן על  
 חייהון חיי אחיה(י)ן  
 רבניהון

„Mense Septembri anni 360 (Selencidarum, Christi 49).  
 „Spectabilem hanc columnam et aram hanc fecerunt et obtulerunt  
 „Soli et donarunt filii Malchu, qui filius erat Jaribeli et nepos  
 „Nasae, Bar Ebedbel cognominati, -qui ex deuotione extruxit  
 „Soli magnificum donum. Consecrauit aedem eorum pater in salu-  
 „tem eorum, in salutem fratrum et filiorum eorum.”

Nemo facile huius inscriptionis argumentum parui aestimabit. Aedis quidem Soli sacrae, quae Palmyrae exstructa erat, fama per omnem Orientem Occidentemque peruagata fuit, quod splendore emineret; at nusquam adnotatum legimus ad quam illa aetatem referenda sit. Ex quo autem patrum nostrorum memoria magnifica eius, quae adhuc exstant, rudera Woodii, Dawkinsii et Bowerii sollertia ab obliuione vindicata et iconibus expressa antiquitatis scrutatorum oculis subiecta sunt, lux aliqua huic caligini illata est ex structurae huius templi ratione, quae summam architecturae graecae perfectionem aemulatur. Vt alia taceam columnarum ordo corinthiacus, dorico et ionico multo ornatior et splendi-

dior, primas in huius templi ornatu tenet. Iam ille quidem inuentus dicitur Olympiade 96. (annos ante Christum natum 396 - 393. complectente); at in ipsa Graecia et consuetudo et binorum ordinum, dorici et ionici, maior simplicitas diu obstilit vulgatori eius vsui, vt adeo ille Graecorum in aedificiis publicis exornandis obtinens ordo vulgaris non potuerit nisi ducentis ante Christum natum annis dici. In Asiam vero is demum immigrauit Romanorum imperio, iam ipsis Romanis, quoties publica monimenta exstruebant, exemplo suo praeerantibus; iam Asiaticis partim Graecorum elegantia, quam in publicis aedificiis exhibuerant, ad eam imitandam allectis, veluti Demetrius, libertus et amicus Pompeii in patria sua vrbe Gadara, bello Maccabaeorum deuastata denuo instauranda; partim adulatione ductis, quae v. c. Herodem M. impulit, vt, quidquid in honorem Augusti exstrueret, elegantia etiam et splendore dignum tanto nomine redderet. Quare ex architecturae in templo Solis Palmyreno conspicuae ratione cogi poterat, illud priorum Imperatorum Romanorum aetatem vix antiquitate superare posse. In quo iudicio nunc confirmamur titulo, quem illustrandum nobis summus. Is enim aedem hanc splendidissimam dicit, aetate annum Christi 49. praecedente h. e. aetate Augusti consecratam, et aetate hanc praecedente h. e. sub finem bellorum ciuiliu exstructam esse.

Enimuero marmoris huius causa haec fuit. Nasa quidam, dictus etiam Ebedbel, exstruxerat templum Solis, eiusque nepos Malchu illud consecrauerat. Quae maiorum suorum merita ne in obliuionem abirent cauere vulerunt filii Malchu hoc marmore, cui pietatis suae documento, quod simul Solis cultum exprimeret, locus commodus concedendus erat in ipso templo. Cum autem non suam, sed atani patrisque sui memoriam posteritati commendare vellent, sua nomina reticenda nec monumento ipsi, soli maiorum suorum honori destinato, inserenda arbitrati sunt eius auctores.



*Columnam solarem et aram* dicasse dicuntur filii Malchui. Et *ara* quidem designatur vocabulo Syris valde frequentato  $\text{ܐܪܐ}$ ,  $\text{ܐܪܐ}$ , *columna* autem *solaris* vocabulo rariore,  $\text{ܐܘܪܐ}$ , Aegyptiae ut videtur originis, Hebraeis tamen non prorsus incognito. Cum magna enim veri specie ab Aegyptio *Solis* nomine *Amuoini* derivatur, adeoque in dialecto Thebaica efferebatur *Am-oueïn*, et virumque cum adspiratione *Hamuoini* et *Ham-oueïn*, cuius duplicis appellationis vestigia adhuc supersunt in duplici eiusdem Dei, Ammonis et Hammonis, nomine iam apud Hebraeos quam apud Graecos frequentato, si quidem  $\text{אֱמֹן}$  (Ezech. 30, 15.) non differt ab  $\text{נָחַם}$   $\text{נָחַם}$  (Nah. 3, 8.). Qua cum adspiratione et quidem aucta, si *Ham-oueïn* in linguam hebraeam transfereretur, non potuit non subnasci  $\text{הַמָּן}$ , quod ut sono, ita etiam significatione accedere videri poterat ad nomen Solis copticum *Ham-oueïn*, in subsidium vocato vocabulo  $\text{הַמָּן}$ , quod Hebraeorum poetis fuit *Solis* (a *calore* et *aestu*  $\text{הַמָּן}$  dicti) non infrequens nomen (Jes. 24, 22. c. 30, 26. Cant. 6, 10. Hiob 30, 28.). Fuit enim scriptoribus Hebraeis in more, vocabula exotica, quoties ea in linguam suam reciperent, ita inflectere, ut et hebraice sonarent, et cum peregrina voce vel eundem vel vicinum saltem sensum funderent, ut ex vocibus  $\text{מִצְרַיִם}$ ,  $\text{הַמָּן}$ ,  $\text{בְּנֵי}$  cet., ex coptica lingua in hebraeam translatis, patet. Eadem ratione poeticum *Solis* nomen  $\text{הַמָּן}$  in subsidium adhibuisse credendi sunt, ut *Solis* nomen Aegyptium *Ham-oueïn*, siue *Hammon* linguae suae vindicarent in  $\text{הַמָּן}$ . Quibus positus  $\text{הַמָּן}$  proprie essent *soles*, siue *radii solares* adeoque *figurae in formam radiorum solarium effectae*, *obelisci*, ut adeo  $\text{הַמָּן}$  aliquo modo formam et figuram  $\text{מַצֵּבָה}$  siue *στῆλας* referrent. Auctor enim librorum Chronicorum *Baalis columnas*, quas *Asa*, Hierosolymorum rex, destrui iussit, iam  $\text{מַצֵּבֹת}$  *signa erecta*, siue *columnas*, iam proprio suo nomine  $\text{הַמָּן}$  appellat (2 Chron. 14, 2. coll. v. 4.); praeterea *columnis*  $\text{מַצֵּבֹת}$  librorum Regum (2 Reg. 23, 14.) a Josia in sacrorum Hierosolymitanorum emendatione sub-

latis, idem auctor Chronicorum, ex sua vno atque altero vocabulo vel adiecto vel permutato res antiquas explicandi consuetudine, substituit (2 Chron. 34, 4.)  $\text{עֲבֹלִים}$  siue *Obeliscos*, ex quibus locis colligimus, columnas Hebraeorum Soli sacras in eorum saltem exivisse, nisi totam prorsus obeliscorum formam imitatae fuerint, adeoque differre  $\text{עֲבֹלִים}$  a  $\text{הַבְּרָזִים}$  vt species a genere. Nam  $\text{הַבְּרָזִים}$  Hebraeis erat proprie quodlibet *signum erectum*, eoque nomine adeo venit *unicus lapis* isque maior *erectus* (Gen. 28, 18. 22. c. 31, 13. c. 35, 14.), vt adeo, si Herodiano c) credimus fuisse non Emesensis solum, sed et vicinis satrapis (adeoque Palmyrenis), Solis imaginem lapidem magnitudinis immanis, *ab imo rotundum, et sensim fastigiatum, propemodum ad conii figuram*, vtrumque nomen rei designandae aptum dici possit.

$\text{עֲבֹלִים}$  וְעֲבֹלִים עַל *splendor columnae solaris et altaris* nominantur monumenta haec in memoriam maiorum suorum a filiis Malchu posita vel ab arte, si diuinare licet, vel a materia, ex qua facta erant, vel ab his vtrisque, rebus simul, de quibus certi quid definiti nequit, quandoquidem haec monumenta tempus non tulerunt. Verum hunc sensum postulare videtur verborum dilectus. Etenim  $\text{עֲבֹלִים}$  עַל sensu differre non potest a dictione  $\text{עַל הַבְּרָזִים}$ , qua semel Ezechielis

c) *Herodian. V. 3. de Bassiano et Alexiano: ἴδραντο δὲ αὐτοὶ θεῶν Ἡλίου τοῦτον γὰρ οἱ ἐπιχωρίοι σέβουσι, τῆς Φοινίκων φωνῆς Ἐλαιαγάβαλον καλοῦντες· νεὼς δὲ αὐτῶν μέγιστος κατεσκευάσθη αὐτοῦ, χρυσοῦ πολλῶ καὶ ἀργύρου κεκοσμημένος, λίθων τε πολυτελείᾳ θερμοσκεύηται δὲ οὐ μόνον πρὸς τῶν ἐπιχωρίων ἀλλὰ καὶ πάντες οἱ γειτνιῶντες σατραπῆαι τε καὶ βασιλεῖς βάρβαροι φιλοτίμως πέμπουσι τῷ θεῷ ἐκάστου ἔτους πολυτελεῖ ἀναθήματα· ἀγάλμα μὲν οὖν, ὥσπερ παρ' Ἑλλήσιν ἢ Ῥωμαίοις, οὐδὲν ἔστηκε χειροποίητον, θεοῦ φέρον εἰκόνα. λίθος δὲ τις ἐστὶ μέγιστος, κἀνωθεν περιφερῆς, λήγων εἰς ὀξύτητα. κωνοειδὲς αὐτῶν σχῆμα μέλαινα τε ἢ χροιά· διαπετῆτε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσι, ἐξοχὰς τε τινὰς βραχέας καὶ τύπους δεικνύουσι. εἰκόνα τε Ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν, οὕτω βλέποντες.*

usus est (c. 26, 11). Is enim Palaetyro ominatur, fore ut in excidio urbi a Nabochodonosare instante, civibus gladio interfectis *columnae eius nobilissimae* (seu splendidissimae ἡ τῆς βασιλῆως) *humis prosternantur*, quas si de columnis Deo alicui sacris interpreteris sensus erit, urbis expugnatores, per omnes plateas ruentes, in *homines* pariter ac *Deos* esse desecuturos, insignisque ipsi loco inerat sermonis per gradus assurgentis gravitas; sin vero de columnis vulgaribus, ad solum urbis ornamentum positis, mentio earum post civium necem facta frigida dici debet et reliquis commatis positionibus parum congrua. Praeterea Palaetyrus *columnis sacris* percelebrata credi potest. Herodotus enim templum Herculi duobus millibus et trecentis ante se annis Tyri (h. e. Palaetyri) conditum *duabus* narrat se vidisse *columnis* exornatum, *altera ex auro excoccto, altera ex lapide smaragdo maiorem in modum per noctem lucente d)*, quae nisi eadem fuerint, quarum Ezechielus

---

d) Herodotus lib. 2. c. 44. — ἔπλευσα καὶ ἐς Τύρον τῆς Φοινίκης, πυρθανόμενος αὐτόθι εἶναι ἰσθὸν Ἑρακλῆος ἄγιον καὶ ἴσον πλουσίως κατεσκευασμένον ἄλλοισι τε πολλοῖσι ἀναθήμασι, καὶ ἐν αὐτῷ ἦσαν στήλαι δύο, ἡ μὲν χρυσοῦ ἀπέφθου ἡ δὲ, σμαράγδου λίθου, λάμποντος τὰς νύκτας μέγαδος. Quis autem Herodoto columnam vere smaragdīnam, adeo maiorem in modum noctu lucentem credat? Similia tamen, quae omnem fidem excedunt, tradit Theophrastus *περὶ λίθων* p. 4. 5. et ex eo Plinius lib. 37. sect. 19., “Theophrastus tradit in Aegyptiorum commentariis reperiri, regi eorum a rege Babylonio missum Smaragdum munere IV. cubitorum longitudine, et trium latitudine. Et fuisse apud eos in Iouis delubro obeliscum e IV. smaragdīs, XL. cubitorum longitudine, latitudinē vero in parte quatuor, in parte duorum. Se autem scribente, esse in Tyrio Herculis templo stantem pilam e Smaragdo, nisi potius Pseudo-Smaragdus sit. Nam et hoc genus reperiri, et in Cypro inuentum ex dimidia parte Smaragdum et dimidia Jaspidem, nondum humore in totum transfigurato. Apion cognominatus Plistonices, paulo ante scriptum reliquit, esse etiam nunc in labyrintho Aegypti colosseum Serapin e Smaragdo

in descriptione vastationis Tyro a Nabuchodonosare futurae meminit, saltem cognatae, in locum destructarum substitutae, et ad exemplum antiquiorum concisarum fabricatae cogitari debent. Supererat enim adhuc Alexandri tempore Herculis templum Palaetyro e), procul dubio post urbem a Nabuchodonosare euersam denuo instauratum; cuius columnae vel potuerunt ex antiquiori Palaetyri templo recentiori seruatae esse, si quidem ante urbis excidium cum reliquis eius opibus in Tyrum insularem translatae, et postea in ipsa templi, in continente terra euersi, instaurazione pristino loco restitutae sunt; sin minus, religio postulabat, vt nouae ad exemplum euersarum fabricarentur. Quidquid autem statuas, posunt haec dictioni עז דמנא ועלמא illustrandae inseruire.

Pergimus ad nomina eorum, qui de templo Solis Palmyreno exstruendo et consecrando bene meruerunt, quae nos morari non

Smaragdo nouem cubitorum." Smaragdi tantae magnitudinis cum in rerum natura non inueniantur, quidni statuamus, alium lapidem viridem cum Smaragdo esse ab antiquis saepius confusum? quidni cum topazio veterum (Chrysolitho recentiorum), ex quo statua Arsinoae fabricata dicitur a *Plinio* lib. 37. sect. 32. c. 8., siquidem ille in tantam interdum excrescit molem, vt possint ex eo columnae alicuius altitudinis confici? vel cum lapide illo, ex quo recentioribus nonnullis Arsinoae statua facta fuisse videtur, veluti P. J. Mariette? quidni cum eodem lapide, qui a celeb. Mariette, iudice harum rerum idoneo, ita descriptus est: "une espèce de Pierre fine, dont la couleur visoit à celle que rend les jus de la plante qui croît dans nos jardins potagers et qu'on nomme poreau. Cette pierre fournissoit d'assez gros morceaux, puisque la Statue d'Arsinoé, épouse de Ptoloméé Philadelphe, qui en avoit été faite, (— scilicet ex conjectura Mariettii —) avoit quatre coudées de hauteur. Outre cela elle étoit tendre, elle suffroit la râpe comme le marte, il n'étoit pas besoin d'autres outils pour la travailler. P. J. Mariette traité des pierres gravées T. I. p. 169.

e) Curtius lib. 4. c. 2.

possunt. Etenim tam abauus filiorum Malchu, *Nasa Bar Ebedbet*, templi structor, quam eorum auus *Jaribel*, et pater eorum *Malchu*, utpote homines nullo nisi nostro monumento historico memorati, aliunde incogniti sunt. Nec facile aliquem offendet inter maiores filiorum Malchu occurrens *Jaribeli*, homini ordinis vel sacerdotalis vel ciuici inditum nomen, quanquam alibi tanquam Dei Palmyrenorum patrii nomen inueniri creditur. Quis enim nescit, sacerdotes nonnunquam narrari Deorum suorum cognomines fuisse? quemadmodum Dei Alagabali, qui Emessae colebatur, sacerdos Dei sui nomine vsus fertur? Verum nec illud extra omnem dubitationem positum arbitror, Deum aliquem Palmyrenorum patrium *Jaribeli* nomine venisse. Innititur enim, quantum equidem noui, omnis haec opinio inscriptioni Bernardi et Smithii vndecimae (v. infra ad an. Seleuc. 554. Chr. 243.), cui Julius Aurelius Zenobius, dux exercitus, *Jaribelo Deo* et Julio (Philippo) praefecto praetorio probatus dicitur. Quem titulum si in hunc sensum interpreteris, Julium Aurelium Zenobium *Diis hominibusque* rebus praeclare a se gestis, probatum se stitisse, habebis omnino fundamentum, cui superstruere possis opinionem de Deo Palmyrenorum patrio *Jaribelo*; at tum *Jaribelus* non potuisset *Julii Aurelii*, cuius de Palmyrenis optime meriti, aequalis dici, qua temporis notatione aperte inter ciues Palmyrenos refertur. Notandum igitur primis post Christum natum seculis *Dei* nomen commune propemodum epitheton fuisse, quo auribus virorum principum seruiebant aduatores: si igitur Senatus populusque Palmyrenus ad *Jaribelo* summo suo magistratui hoc epitheto adulandum pro istius temporis more se demiserit, quis Deum Palmyrenorum patrium ex hoc titulo iure aliquo exsculpat? Nec certiores nos hac de quaestione reddere potest etymologicum nominis huius ex duabus vocibus compositi examen, in quo iam plures viri eruditi inaniter desudarunt, vt nostra aetate, qua nomen ipsum litterarum elementis Palmyrenis expressum oculis nostris subiectum est, facile iudicamus. Si enim

יריעבל scribendum est, quemadmodum illud haec inscriptio exhibet, ex multis virorum doctorum coniecturis, quas Braunius *f*) collegit, binae tantum locum habere possunt, si statuas, litterarum gutturalium permutationem eandem, quae Galilaeis et Samaritanis frequentabatur, Palmyrenis etiam familiarem fuisse; qua posita יריעבל duplici modo resolui posset, vel in בל יריא vel in בל יריה *g*), ut adeo ex priori ratione nomen cum Bernardo *h*) vertere posses *cultor Beli*, ex altera cum Hallejo *i*) *Deus Lunus*. Sed mittamus haec, quae omnino lubrica sunt,

Reliqua, veluti lectiones inscriptionis vel temporis vel casus culpa mancae, quas in integrum restituimus, et significatus, quos singulis vocibus Aramaeis subiecimus, vltiore commentario non indigent. Ipsa oratio contexta iubeat legere lin. 2. דג(ה), lin. 3. רור, lin. 5. (ע)ברור, lin. 7. אברה(ר)ן; lin. 8. ארחה(ר)ן. Lectionem רור lin. 3., quinquam consecutio verborum רור רור commendare potuerit, tentare nolimus, cum eius etiam locus esse possit, modo veritas: (columna et ara) *sunt donatum quid*. בנני in part. lin. 6. pro בנה extruxit, insoliti nihil habet; et מרת lin. 6. vulgare nomen *rei pretiosae* potuit sine haesitatione ad *aedem splendidam* transferri.

Ad an. Sel. 445. Chr. 134.

Delin. *Relandi* Palaestina ad p. 525. n. 1. tab. *Swinton* in *Philos. Transact.* T. 48. tab. XXX. n. II. coll. T. 56. p. 4. inscriptionem Palmyr. curatius exhibente. Graece: *E. Bernardi* et *Th. Smithi* inscriptiones graecae Palmyrenorum p. 2. n. III. *Abr. Seller's*

*f*) *Jo. Braunii* selecta sacra p. 785.

*g*) Et reuera scribitur יריעבל in inscriptione quarta Ruderum Palmyrenisium.

*h*) Inscriptiones graecae Palmyrenorum cum scholiis et annotationibus *Edw. Bernardi* et *Th. Smithi* p. 19.

*i*) *Ibid.* p. 24. 53.

the Antiquities of Palmyra p. 363. coll. p. 35. Explic. a Swintono  
l. c. T. 56. p. 4.

לבעל שמיך מרמ עלמא קרב  
כסמא וערמא נשגמא סל

A Palmyra Euphratem versus pergentes haud procul ab oppido Tiba in templo Moslemio inuenerunt lapidem, Syriaco hoc titulo inscriptum: "Ioui tonitruum, domino mundi, obtulit (dedicauit) puluinar et lectum Agathangelus," nulla addita anni nota marmorisue caussa. Commodè igitur accidit, vt graeca etiam Palmyrenae iuncta inscriptio tempus tulerit, quae, cum prolixior sit, pro archetypo habenda est, cuius verba auctor Syriacae ad compendium contulerit:

Διὸ μεγίστῳ Κερανίῳ ὑπὲρ σωτηρίας Τρα. Ἀδριανοῦ  
σεβ... τοῦ κυρίου Ἀγαθάγγελος Ἀβιλιηνὸς τῆς Δεκα-  
πολεως (Δεκαπόλεως) τὴν καμάραν ἀποδόμησεν καὶ τὴν  
κλι... ἐξ ἰδίων ἀνέθηκεν, ἔτους ΕΜΥ μηνὸς Λώου.

"Ioui maximo tonanti pro salute Trajani Hadriani Augusti Domini  
„Agathangelus Abilenus Decapolites cameram aedificauit et lectum  
„propriis sumtibus posuit. Anno 445 mense Augusto (Chr. 134)."  
Ita omnia Palmyrenam inscriptionem interpretaturo scitu necessaria  
claris verbis expressa sunt.

Marmor ipsum superstes videri potest ex aede Ioui tonanti olim sacra, aetate autem post Christum natum media ita inmutata, vt templo Mohammedanico inseruiret. Tibae illa condita erat, in pago trium fere dierum itinere a Palmyra distante *k*), in quo Agathangelus [homo ceterum incognitus *l*)] cur vota sua pro Ha-

*k*) Philos. Transact. Vol. 18. p. 109. Caue igitur, vt confundas hanc vrbem cum altera Tiba apud *d'Anville* l'Euphrate et Tigre p. 130. Pagus Tiba in scriptoribus antiquis nusquam occurrit; an vero antiquitus alio nomine insignitus fuerit, ignoratur.

*l*) Alius huius nominis *Cn. Cassutius Agathangelus* occurrit in *Gruteri thesauro inscriptionum* 644. 1.

driano Imperatore fecerit, dici non potest, siue sedem suam ibi habuerit, siue templi Iouis ibi exstructi fama ad ea in illo potissimum nuncupanda allectus fuerit. Erat enim patria Decapolites, et quidem Abilae, in vrbe Batanacae natus, quae 12 milliaribus a Gadaris distabat, adeoque inter plures vrbes, vt Pellam, Gadaram, Canatham, Philadelphiam, Damascum aliasque, quae inter Decapolitanas recensentur a Plinio *n*), sita erat, potuitque ipsi Decapoli accenseri, quandoquidem eodem monente Plinio non inter omnes conueniebat de numero et nominibus oppidorum Decapolitanorum *n*).

Templum autem, cuius lapidem explicamus, dicatum erat *Διὶ περαυνίῳ*, qui Palmyrenice redditus est *כַּעַל שַׁמַיָא*. Sol enim gentibus Semiticis dicebatur *כַּעַל שַׁמַיָא* siue *כַּעַל dominus* quasi coeli, siue moderator siderum caelestium, vnde pleno nomine *Beel samen* (כַּעַל שַׁמַיָא) Phoenicibus appellabatur. Cognitis postea graecis Numinibus cum animaduertent Semitae, Ioui idem tribui, quod Baali suo, videlicet regere illum totum coelum, Baalis nomen ex sua lingua ad Iouem designandum adhibuerunt *o*). *כַּעַל שַׁמַיָא* non differt a *כַּעַל שַׁמַיָא*, id quod *auditur*, adeoque *sonus*, Hebraeis quidem in sensu lenissimo, qualis est *ψιθυρισμός*, Syris autem etiam in gravissimo *sonus perstrepens* et *penetrabilis*, siue *tonitru*. Alterum epitheton, quo Iupiter ornatur, *כַּעַל שַׁמַיָא*, *dominus mundi*, *μέγιστον* graecae inscriptionis optime circumscribit.

Agathangelus autem haec sua vota fecit in salutem Hadriani anno Sel. 445. Chr. 134. hoc est anno, antequam Hadrianus Athe-

m). *Relandus* in Palaest. p. 525.

n) *Plinius* in histor. nat. lib. 5. c. 18.

o) *Eusebius* in praepar. evang. lib. 1. p. 24. *αὐχμῶν δὲ γενομένων, τὰς χεῖρας ὀρέγειν (τοὺς ἀνθρώπους) εἰς οὐρανοὺς πρὸς τὸν ἥλιον· τούτων γὰρ Φησι, θεὸν ἐνδμίζον μόνον οὐρανοῦ κύριον Βεελσάμην καλοῦντες, ὃ ἐστὶ παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἑλλήσι.*



nis Romam rediit, inter ipsa belli Iudaici discrimina. Hadrianus enim in ultimo per imperii Romani provincias suscepto itinere Aegypto inspecta inuisit Syriam, Coss. Hiberio et Iunio Silano Sissenna, (h. e. anno Chr. 133.), nullisque ibi motibus animaduersis Athenas petiit, bellum tam prope instans nequaquam praesentens. Quam primum autem Imperator procul abesse visus est, Iudaei turbas duce Bar Chocab excitarunt *p*), quas bellum internecinum insecutum est, quo Romanis nullum periculosius fuit, conspiratione videlicet totius Iere Iudaici nominis per omnem terrarum orbem facta *q*). Iam quidem ex historiarum auctoribus satis constat, primum de Iudaeorum tumultibus nuncium Athenas ad Hadrianum perlatum esse, eumque eos nihili fecisse; quod vero periculis dilucidius cognitis ad belli theatrum propius accesserit, a Iudaeis quidem sequioris aetatis adnotatum nec tamen satis certum est; quis enim rei fando tantum acceptae et post plura demum secula in litteras relatae fidem indubiam habeat? Sive autem Imperator biennium perpetuum (Chr. 133. 134.) Athenis manserit, sive aliquamdiu ad exercitum se contulerit, ut eius fortitudinem sua praesentia augetet, perinde est; terrores belli vicini, igni ferroque mimitantis, qui Agathangelum latere non poterant, sufficiebant votis pro salute Hadriani nuncupandis *r*).

Denique Ioui tonanti, ut Hadrianum saluum sospitemque servare velit, Agathangelus posuit *puluinar* et *lectum*, כסתר וערשא (coll. vocc. Aramaeis כִּסְתָר *puluinar*, et עֶרְשָׁה *lectus* et *sponda lecti*) h. e. vouit lectisternium pro salute Hadriani. Scilicet, ut

*p*) Dio Cassius lib. 69. c. 12.

*q*) Der jüdische Krieg unter den Kaisern Trajan und Hadrian, von D. Friedrich Münter. Altona und Leipz. 1824. 8.

*r*) Caue credas haec vota incidisse in tempus, quo Hadrianus hydrope per aliquot annos laborabat. Enimvero puluinar Agathangelus iam anno p. Chr. nat. 134. Hadriano posuerat; in morbum autem illum demum incidit post reditum ex Athenis an. Chr. 135.

Dii precibus suis patulas et propitias aures praerherent, solebant Romani in templis eorum epulum parare, iisque tanquam epulaturis et accubitoris lectos sternere. Quibus sacris paratae in templis erant camerae h. e. aediculae fornicatae, tectorioque opere inductae s) et puluinari lectoque instructae, in quibus imagines Deorum vel stare ferebantur, ut corpore eminent, vel discumbere, ut commodius inter coenandum requiescerent. Atque tota haec lectisterniorum ratio in graeca inscriptione propriis verbis expressa est; in syriaca vero orationem contrahente, camera cum puluinari unico tantum vocabulo כסחא *puluinari* haud incommode reddita est.

Ad an. Sel. 447. Chr. 136.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. XIII. *Swinton* Philos. Transact.

Vol. 48. tab. 25. num. XIII. p. 699. *Kopp* l. c. p. 259.

Basi, cui statua olim imposita erat, inscriptum legebatur:

לברוך שמה לעלמא עבד שלמון בר נשא בר

חיצא ברם על חייהי רחיי בנוהי

::: ה בירה ניסן שנה 447

„Numini in aeternum laudando Salmon, filius Nasae, nepos „Chizae, statuum (formam) fecit in salutem suam et salutem filii „sui. Mense Nisan anni 447.”

Quaquam hic titulus Palmyrenus graecam epigraphen sibi iunctam non habeat, plura tamen omnia essent, nisi ad vocabulum ברם offenderes. Verum quis dubitet lectionem ברם, quam adhuc viri eruditi ex marmore nostro exsculperunt, utpote sensu carentem, reprobare, eisque in locum aliud, quod ipsa oratio contexta exigit, פרם *forma, imago, statua*, reponere, ratione similitudinis figurae, quae inter פ et ב alphabeti recentioris Palmyrenorum intercedit, habita? Est autem פרם vocabulum latinum *forma* in lin-

s) *Solmasius* ad Fl. Vopisci Aurelianum c. 46. p. 547. ed. Lugd. Bat. 1671. T. 2. coll. *Vitruv.* lib. 7. c. 3.

guam Aramaeam receptum; unde פרמי et פרמא est *larua* (proprie *forma*), et פרומאי *artifices* sunt (proprie *formatores*) t).

Ad an. Sel. 533. Chr. 222.

Ruins of Palm. tab. 25. num. II. *Chandler* num. XI. *Kopp* l. c. p. 256. *Swinton* *Philos. Transact.* Vol. 48. tab. 24. num. II. p. 698. Lectionem pariter ac explicationem veram iam occûpavit Perill.

Kopp.

(ל) בריך שמה לעלמא עבא ורחמינא (א)  
 מרמא מר יול בר זבדבול בר מלכו ע (ל)  
 חויהי וחיא אחוהי בירח תשרי (י)  
 שנת 533

„Numen in aeternum laudandum, bonum et misericors, celebrat Marius Iulius filius Zabdibuli, nepos Malchi, pro salute „sua et salute fratris sui mense Tisri anno 533.”

Nomina huius lapidis propria nuspiam occurrunt, nec possunt luce historica collustrari. At lapicidam in incidendo אחוהי lapsum, et אחוהי (*frater eius*) legendum esse et linguae ratio et contextus probant, nisi permutationem litterarum gutturalium ה et ח in ipsa Palmyrena lingua statuere malis,

Ad an. Sel. 544. Chr. 233.

Ruins of Pal. tab. 25. num. I. graec. VIII. *Chandler* l. c. num. XI. *Swinton* *Phil. Transact.* Vol. 48. tab. 24. num. I. p. 698. *Kopp* l. c.

p. 254. Arae inscriptum Palmyrae:

Διὶ ὑψίστῳ καὶ	(מ) ורמא לברוך שמ(ה)
'(ε)πηκόῳ Ἰου Ἄυρ	לעלמא יהל אור
'(α)ντίπατρος ὁ καὶ	(ע)ל(ם)ויא בר מעילם
'Ἀλαφώνας Ἀιαιλ	... דיא אק(?)רפעי

Ἀμείτου

t) Vocabula ex latina lingua petita plura occurrunt in his inscriptionibus veluti ad annum Seleuc. 547. Chr. 236. פכסם panis paxematius; ad an. Sel. 554. Chr. 243. סומ summa.

Ἀμείτου Ζηνοβί	ב(יר) טבב
ου τοῦ Ἀκοπείου	ב(ר)ים 24
ἐυξάμενος ἀνέ	טנח 544
ἤκεν ἔτους δμϞ	
Ἀυδυναίου κδ	

Qui temporis et casus culpa evanuerunt litterarum ductus ex graeca huic titulo respondente epigraphae facile restituendi erant. "Celebrat Numen, in aeternum venerandum, Iulius Aurelius Alphonas (graec. Antipater), Aialami (Zenob)idi (graec. Zenobii) Acopensis filius; mensis Tebhet (Decembris) die 24, anni 544."

Artaxerxes, imperio in Persas recuperato, incursiones fecerat in Mesopotamiam easdemque Syriae etiam minitabatur, nec a vexationibus destitit, quanquam ab Alexandro Seuero, tunc Imperatore, litteris admonitus erat, ut eas mitteret *u*). Igitur ad arma ventum est, si Herodianum sequimur anno Alexandri Seueri 14, h. e. anno post Chr. n. 235., quibus et Palmyreni sua socia adiunxerunt. Ipse quidem Alexander Seuerus, dum huius belli causa in Oriente versabatur, Palmyram inuisisse videtur, ut ex marmore Palmyreno quarto colligi potest. Palmyrae igitur pro Imperatoris salute vota nuncupasse dicitur Iulius Aurelius Alphonas. Quem si cum Alpheno, Imperatoris familiari et socio comparare licet, fuit is Iuris Professor, et, ut cum Lampridio loquamur *x*), in consilio Seueri. Atque haec comparatio adiuuatur inscriptionis huius textu graeco, cui Ἀλαφώνας cognomen est: (quis enim Ἀντίπατρος ὁ καὶ Ἀλαφώνας aliter interpretetur) nec Ἀλαφώνας a nomine *Alpheni* diuersum dici potest, quandoquidem exprimit, appellatione et sono etiam, Syriacum ܐܠܦܢܐ, quod cum *doctorem iuris* significet, Iuris Professoris cognomini valde est

*u*) Dio Cassius lib. 75. c. 9. Herodianus lib. 6. c. 6 - 16.

*x*) *Aelius Lampridius* in *Alexandro Seuero*. c. 68.

accommodatum γ). Tinetur igitur arae titulus lectionem Lampridii, quam Casaubonus in dubium vocauerat.

Iam si Alphonas siue Iulius Aurelius Antipater in Alexandri Seueri consilio fuit, eundem etiam Palmyrae eius comitatu interfuisse quis dubitet? Is igitur Imperatorem ad conflictus proxime futuros cum hoste comitaturus Ioui uouisse videtur aram, ut Imperatorem ex bello, Persico apparatu formidolosissimo, saluum sospitemque reduceret. Bellum, quem exitum habuerit, Herodiano et Lampridio in eius historia sibi contradicentibus, incertum est: Alphonatem autem siue Alphenum votum eo ipso anno, quo conceperat, (Chr. 233.) boni omnis causa rite etiam exstructa ara soluisse credere licet.

De patre Iulii Aurelii Antipatris quaestionem intactam relinquimus, cum nominum propriorum lectio lapidis culpa prorsus incerta sit, nec in historia aliquis occurrat, ad quem certiores eorum reliquiae referri possint.

Ad annum Seleuc. 547. Chr. 236.

*Spon* recherches curieuses d'Antiquités p. 59. *Gruteri* thesaur. inscript. (sine anaglypho) T. I. p. 86. *Bernard* et *Smith* l. c. p. 14. *Montfaucon* Antiq. expl. T. II. tab. 179. Legendi periculum fecit *Barthelemy* reflexions sur l'Alphab. et sur la langue dont on se seruoit autrefois à Palmyre p. 21. explic. *Swinton* Philos. Transact. Vol. 48. (sine anagl.) tab. 30. num. 1. p. 132. et *Georgi* de inscriptionibus Palmyrenis Romae 1782. 8. cum anaglypho, quod etiam repetitum est in *Hydii* libro de religione Persarum ad p. 116.

Ἀγλιβώλω καὶ Μαλαχβήλω      מלכבל לסויהאם  
πατρόφωις Θεοῦ καὶ τὸ σίγγον      מן עבר והתם כספא די

γ) Quemadmodum enim מְטָרָא et מְטָרָא *medicus*, מְטָרָא et מְטָרָא *piator*, *hospes*, לְמָרְוֹ et לְמָרְוֹ *ligans*, id quod vincit, cingulum est, ita לְמָרְוֹ et לְמָרְוֹ *Iuris peritus*, doctor *Iuris*, בַּר מְטָרָא.

ἀργυροῦν σὺν παντὶ κόσμῳ	כסס יעחי בר חליבי
ἀνέθηκε Δ. Αυρ. Ἑλιδόωρος	בר ינחגבל לשחש שנער
Ἀντίοχου Ἀδριανὸς Παλμυρήνος ἐκ	על חיוהי יחיא בנוהי בורח
τῶν ἰδίων ὑπὲρ σωτηρίας αὐτοῦ	שבט שנח 547
καὶ τῆς σύμβίου καὶ τῶν τέκνων	
ἔτους ζμϞ μηνὸς περιτίου.	

Inscriptionem Palmyrenam vertimus: "Aglibolo, Malachbelus. „Signum (simulacrum) argenteum et vestimentum fecit ex baxamato „(ex rebus suis ad victum necessariis) Jachi, filius Chalibi, nepos „Janchebel, tempore turbarum Sinearitidis, in salutem suam et „salutem filii sui mense Schebat (Februario) anni 547. (Seleuc., 236 Chr.)"

Subnexa illa est anaglypho, Romae in vinea Cardinalis Car-pagnii reperto. Tabulae videlicet marmoreae insculptae sunt binae figurae vestibus masculis indutae, adeoque mares repraesentantes; altera variis symbolis ornata, quibus ei partes in hoc marmore primariae assignantur, altera forma notis insignioribus carente, quibus partes eius in hoc anaglypho inferiores produntur. Prior eminet parazonio super thoracem, chlamyde militari, cothurnis et hastili in manu dextra; imprimis autem corona radiata crispo crini imposita, et cornibus falcatis, perpetuis lunae crescentis symbolis, ex quibus Dei Luni imago non potest non agnosci 2). Posterior autem figura, crispo itidem crine, teniata est, succincta, carola

2) De Deo Luno v. *Aelii Spartiani Caracalla* c. 7. "Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque memoriae traditum atque ita nunc quoque a Carrenis praecipue haberi, ut qui Lunam foemineo nomine ac sexu putauerit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inseruiat: at vero qui marem deum esse crediderit, is dominetur vxori, neque vllas muliebres patiatur insidias. Vnde quamuis Graeci vel Aegyptii eo genere quo foeminae hominem, etiam Lunam deam dicunt, mystice tamen deum dicunt."

induta, laxe braccata, nec Deum, sed tam forma, omnibus symbolis insignioribus carente, quam toto habitu, modestiam et reverentiam spirante, manuque dextra ad Deum Lunum porrecta, prode videtur hominem Dei supplicem, spemque prodentem, fore ut votorum damnetur, quandoquidem manum eius porrectam Deus Lunus prehendit. Nec obstat huic interpretationi, quod in inscriptione graeca hinc hae figurae Diis patriis (πατρώοις Θεοῖς) accensentur, modo summum civitatis magistratum homine supplice repraesentari statuas, quem tempore huius marmoris adlatores *Dei* cognomine salutare solebant, quasi talis magistratus (sive regis, sive principis, sive alio principatum exprimente nomine insignitus sit), ut cum Ammiano Marcellino loquamur, *particeps esset siderum, fraterque Solis et Lunae a*). Iam singula videamus.

*Deus* igitur *Lunus* in hoc marmore *Aglibolus* nominatur, nomine ex ברל et עגלי conflato, quasi diceres *dominus migrans*, vel *oberrans*. ברל enim sine discrimine alternat cum בל *dominus*, et ut ברל scribitur בעל et בעל, ita ברל etiam בל<sup>א</sup>, eadem manente significatione. Quo sensu autem אגלי *domini* nomini

a) *Ammianus Marcellinus* lib. 17. c. 5. "Rex regum Sapor, particeps siderum, frater Solis et Lunae." *Dei* epitheto nihil communius fuit in Syria. Eo in nummis salutantur Antiochus IV et VI, Demetrius I et II; *Deae* cognomine in nummis Cleopatra cum Antiocho VIII. filio *Vaillant* hist. regum Syriae p. 273. Ita enim nominabantur, "quibus merita virtutis dederunt numinis dignitatem," ut cum Servio loquamur. Quin immo Θεοὶ ἀδελφοὶ dicebantur fratres, quorum parentes Deorum titulo insigniti fuerant. *Fröhlich* in *annal. Syr.* p. 128. Quidni igitur *Dei* nomen competere potuisset summo florentissimae Syriae reipublicae magistratui? Verum omnem, siquidem adhuc supersit, dubitationem tollit inscriptio ad an. 243. pertinens, in qua Deus Jeráchbal aequalis dicitur civis cuiusdam de republica Palmyrena optime meriti, quae descriptio in hominem, non vero in Deum cadere potest.





originem sumere altera illa, quae nonnunquam occurrit, orthographia אַשְׁרִיּוֹם et אַשְׁרִיָּה (Mich. 5, 13. Deut. 7, 5). Igitur in origine horum nominum constituenda redeundum est ad שָׂרָר, Arab. *سار* pro *سار* *profectus est, incessit, ambulavit*, (ex qua ipsa noua illa radix אַשְׁרָ in significatione *incedendi* profluxit, eadem ratione, qua plura verba mediae radicalis quiescentis verbis aliis, primam radicalem litteram א habentibus, originem dederunt); et quemadmodum ex nomine vrbis, trans Iordanem inter Tiberiam et Damascum sitae, אֲפִיטָא subnatum est أَفَيْتَ (v. *Alb. Schultensii* indicem geographicum ad vitam Saladini v. Phyk) Hebr. אֲפִיקָה (1 Reg. 20, 26); ita a rad. שָׂרָר non potuit non subnasci אַשְׁרִיר, אַשְׁרִירִים, אַשְׁרִירָה cum א seruii. Sic nomen planetarum hebraeum prorsus, adeo origine, cognatum est arabico planetae nomini اَسْبَابِيَّة c).

Iam vero *Baalis* et *Ascheræ* (הַבַּעַל וְהַאֲשֵׁרָה) cultu absoluebantur sacra *astris coelestibus* inter Hebraeos sollemnia; id quod ex loco librorum Regum de Manasse, Iudaeae rege, patet, qui *exstructa Baali ara et fabricata Aschera adorasse astra coelestia* dicitur (2 Reg. 21, 3) d), vt adeo *Baale* exprimat *luminare diurnum*; contra vero *Aschera*, collectiua forma feminina pro plurali numero posita, cum אַשְׁרִירִים et אַשְׁרִירָה alibi alternante, *luminaria nocturna*, et quidem *planetæ* excluso Sole. Sunt quidem loci, in quibus Sol planetis adnumeratur; quo pertinent omnes illi, in quibus אַשְׁרִירִים (veluti 1 Reg. 14, 15. 2 Chron. 17, 6. c. 24, 18. c. 33, 19. c. 34, 3. Jerem. 17, 2.) אַשְׁרִירָה (vt 2 Chron. 19, 3.) et אַשְׁרִירָה (in collectiua forma 2 Reg. 17, 16.) vniuerse *omnia sidera*

c) Alius vero originis est אַשְׁרִירָה *lucus* (Deut. 16, 21.), in lege Mosaica his verbis expressa: ne plantes *lucum* ex arboribus cuiuscunque tandem generis v. c. e quercubus, cupressis, vlmis, aliis, coll. nom. הַאֲשִׁירָה.

d) Idem repetitur 2 Chron. 33, 3.; hoc tamen discrimine, vt Baal et Aschera in plurali, dignitatis signo, בְּעִלְיָם וְאֲשִׁירָה efferantur.

designant e); in aliis vero Sol a reliquis planetis sciungitur. Quis enim in prima hominum simplicitate, rerumque astronomicarum infantia Solem, a quo omnis diurna lux cum diurno calore deriuabatur, reliquis planetis aequiparauerit, nec illum dignum censuerit, cui sacra singularia et priua instituerentur f)? Hinc sacrorum, sideribus exhiberi solitorum, duplex genus obtinuisse videtur, alterum, quo Soli tanquam summo coeli Deo peculiaria vota, alterum, quo Soli reliquisque planetis communia nuncupata sunt, et illa quidem in iis Hebraeorum templis, quorum aris solae Solis columnae impositae cernebantur (veluti 2 Chron. 34, 3. 2 Reg. 10, 26.), haec autem, vbi Baalis ara simul Ascherac h. e. planetarum signis exornata erat (vt Iud. 6, 25. 30.). Verum cum et Luna noctu inter reliquos planetas simili emereret luminis sui splendore, quo Sol interdiu, factum est, vt et Lunae prisci homines principem inter lumina nocturna locum assignarent, et a reliquis planetis per noctem lucentibus discernere. Hinc אֲשֶׁרֶת (in singulari numero posita) *ambulatrix* quasi κατ' ἐξωχλήν g) ad Lunam designandam, et cum proprio Lunae nomine Aschthoret, אֲשֶׁרֶת־חַרְתִּי permutandam adhibita est (veluti Iud. 2, 13. 1 Sam. 7, 3. coll. Iud. 3, 7.).

e) Alius, quanquam cognatus, flexus in nomine בַּעַל obtinuisse videtur. בַּעַל enim *Urano* quandoque respondiisse suoque nomine *omnia sidera* complexum esse, probabile fit ex loco 2 Reg. 23, 5. in quo suffitus adoleri dicitur *Baali* h. e. Soli, Lunae, Planetis omni-que exercitui coelorum (אֲבָבִי וְלִמְלוּחַ וְלִכְלִי אֲבָבִי). Quod enim אֲשֶׁרֶת nulla copula praefixa legitur, vt reliquis nominibus subsequentibus, id indicio est, nomina omnia, בַּעַל subsequentia, esse in appositione posita, ad declarandas naturas, quae Baalis nomine contineantur.

f) Quid de Sole statuerint veteres in vnum quasi cumulum collectum legas a *Macrobio*, in Ciceronis locum, quo Solem *ducem, principem et moderatorem luminum* reliquorum appellauerat, commentante, Saturn. lib. I. c. 20.

g) Hiob. 31, 26. Luna dicitur יָקָר הַלֵּיָהּ.

De *Malachbelo* praeter ea, quae supra ex forma, vestitu et habitu figurae, eum in marmore repraesentantis, exsculpsimus, nihil habemus, quod ad ectypum illustrandum facere possit. Si is summum in ciuitate Palmyrena magistratum gessit, quis nomen eius restituat deperditis omnibus eius publicis tabulis. Hoc autem auctor huius marmoris Jachi quidam, ceterum historiae incognitus, a Numine tutelari patriae suae, Deo Luno, precatus videtur, velit alterius patriae suae Dei, magistratus eius summi, preces ac vota rata facere, ne inter ciuiles Sinearitidis tumultus detrimenti quid capiat respublica. Praeterea symbolo aliquo, manu scilicet Dei Luni manus supplicis admota, spem suam professus est, fore vt votorum a Numine tutelari damnetur,

Intercessit autem Jachi, filius Chalibi, nepos Janchgebel, pro patria sua, eiusque summo magistratu ectypo, siue signo (retento ipso vocábulo latino מלכיהל), quo ipsum supplicationis actum graphice expressit, statua argentea siue argento obducta et vestimento splendido, quo Deum Lunum amiciuit (מלך enim non differt מלך, quod Chaldaeis *vestimentum* significat, et in graeco textu libere effertur σὺν τῷ νόσμῳ). Sumtus autem in hoc opus erogandos petiit ex rebus ad victum suum necessariis, כספך נר, ex *baxamato*, (vt aperte textus Palmyrenus legendus est). Est autem *παξαμαῖς panis bis coctus h)* siligineus, militibus in castris et populo otioso in vrbe diuidi solitus, sequiori, saltem Cassiani tempore semilibris *i*). Qui igitur alicuius rei impensas ex pane

h) Suidas s. v. *παξαμαῖς*. ὁ δίπυρος ἄριστος ἔστι δὲ ἡ λέξις Πρωμικιῆ.

i) *Cassianus* collat. 2. c. 19. "Praeposuerunt cunctis illis refectiōnem sicci panis cuius aequissimum modum in duobus paxamattis statuerunt, quos paruulos panes vix vnus librae pondus habere certissimum est." Hinc Salmasius ad Vopisci Aureliani c. 35. "Praeterea sciendum est, panem, qui illo tempore (h. e. Aureliani an. 270—274.) coquebatur, fere intra sex uncias stetisse: bucellae enim, quae populo diuidebantur, non plus pendebant. Panis militaris,

paximatio sustinet, is ex rebus ad victum pertinentibus sibi subtractis eas fecisse censendus est *l*), adeoque ἐκ τῶν ἰδίων, vt graecus titulus mentem potius auctoris quam verba eius expressit.

Turbae denique Sincaritidis innunt incursionem anno imperii Alexandri Seueri decimo quarto (A. Ch. 235.) ab Artaxerxe in Mesopotamiam factam, qua terras Asiaticas, Persis olim abreptas, a Romanis repetere coepit *l*).

taris, hoc est bucellatum eiusdem ponderis erat." Quae hausit Salmasius ex Cassiano (qui post an. Chr. 432. obiit) non possunt ad Aureliani tempora referri. Res enim pondo aestimatae pro temporis ratione raro sibi respondent.

*k*) Rei illustrandae caussa exscribimus locum *Vopisci* in Aureliano c. 35. "Aurelianum eo tempore quo proficisceretur ad bellum Orientale, bilibres coronas populo promississe, si victor rediret: et quum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset aut vellet, coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei vocantur et singulis quibusque donasse: ita vt siliginem suum quotidie toto aeuo suo et vnusquisque reciperet, et posteris suis dimitteret."

*l*) *Herodiani* lib. 6. c. 2. de Alexandro Seuero: ἐτῶν μὲν οὖν τρισκαίδεκα οὕτως, ὅσον ἐπ' αὐτῷ, τὴν βασιλείαν ἀμέμπτως διώκησε. τῷ δὲ τεσσαρεσκαίδεκάτῳ ἔτει αἰφνιδίως ἐκοίμισθη γράμματα τῶν κατὰ Συρίαν τε καὶ Μεσοποταμίαν ἡγεμόνων, δηλοῦντα, ὅτι Ἀρταξέρξης, ὁ Περσῶν βασιλεὺς, μετὰ τὸ Παρθυσίους καθελεῖν καὶ τῆς μετὰ τὴν ἀνατολὴν ἀρχῆς παραλύσει, Ἀρταβάνου τε τὸν πρότερον καλούμενον τὸν μέγαν βασιλέα, καὶ δυοὶ διαδήμασι χρώμενον, ἀποκτεῖναι πάντα τε τὰ περιτοικα βάρβαρα χειρώσασθαι καὶ εἰς Φόρου συντέλειαν υπάγεσθαι· οὐχ ἡσυχάζει οὐδ' ἐντὸς Τίγριδος ποταμοῦ μένει, ἀλλὰ τὰς ἔχθρας ὑπερβαίνων καὶ τοὺς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς ὄρους, Μεσοποταμίαν τε κατατρέχει καὶ Σύροις ἀπειλεῖ· πᾶσάν τε τὴν ἀντικειμένην ἡπειρον Εἰρώπῃ καὶ διαιρουμένην Ἀγαλῶ τε καὶ τῷ πορθμῷ τῆς Προποντίδος, Ἀσίαν τε πᾶσαν καλουμένην, προγονικὸν κτῆμα ἡγούμενος, τῇ Περσῶν ἀρχῇ ἀνακτῆσθαι βούλεται κ. τ. λ.

Ad annum Seleuc. 554. Chr. 243.

Ruins of Palm. tab. 25. num IV. graec. num. IX. repet. Palmyr. et  
 graec. a *Swinton* in *Philos. Transact. Vol. 48. P. 2. p. 715. coll.*  
 tab. 24. num. IV. gr. in *Selleri hist. Palm. p. 40. 165. 309.*

חלק יוליס אורליס וברלא בר מלכו בר מלכו  
 נשום די הו אסטרטג לקלניא במיחויחה די  
 אלהא אלכסנדרוס קסר ושמש כריא ואחן די  
 קריספוס היגמונא וסריאן ילפאן לדיניא  
 ובר בסניאלה וארב שום וחס נרואין שגיאין שגיאין  
 ורבר עם רהש כנתנת מטל כוח סהר לה ירחבעל  
 אלהא ואף יוליס די סוא ורמיום מרחא  
 די אקומת לה ברלא ורמוס ליקרה שחן דןר

Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Ἰουλίον Ἀυρήλιον Ζηνόβιον τὸν καὶ  
 Ζαβδίλαν Δισμάλχου τοῦ Νασσοῦμου στρατηγῆσαντα ἐν  
 ἐπιδημίᾳ Θεοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ ὑπερετήσαντα παρουσίᾳ διηνεκεῖ  
 Ρουτιλλίου Κρισπέινου τοῦ ἡγήσαμένου καὶ ἐπιδημησάσαις  
 οὐκονισωνα Φειδήσαντα χρημάτων, καὶ καλῶς πολιτευσάμενον  
 ὡς διὰ ταῦτα μαρτυρηθέντα ὑπὸ Θεοῦ Ἰαριβώλου καὶ  
 ὑπὸ Ἰουλίου . . . τοῦ ἐξοχωτάτου ἐπάρχου  
 τοῦ εἰροῦ πραιτωρίου, καὶ τῆς πατρίδος τὸν Φιλόπατριν τει-  
 μῆς χάριν ἔτους ΔΝΦ.

Senatus populusque Palmyrenus Iulio Aurelio Sabdolo (*s. Zenobio*) ob praeclara de se suaque republica merita statuum erexerunt, cuius basi eius laudes Palmyrenice et graece insculptae erant; et quidem Palmyrenice his verbis; „Statua Iulii Aurelii „Sabdolo, filii Malchu, nepotis Malchu Nasum, qui fuit dux co- „loniae, cum adduceretur Deus Alexander (Seuerus), Caesar, et „minister (adiutor) idoneus et exercitatus Rutilii Crispini praefecti, „et axis (praeses) edoctorum ad iudices (ad iudicia habenda h. e. „Iureconsultorum). Dona is fecit (contulit) de peculio suo, adeo- „que auxit summam, clemensque fuit donis multis, permultis, et

„gubernauit (coloniū) vna cum principe (summo magistratu) pro ratione donorum (liberalitati eius conuenienter). Idem testatur ei „Jerachbaal Deus, et Iulius etiam . . . , qui aequales ei erant, et „alti dignitate. Quam (statuam) erexit ei Senatus populusque in „honorem anno DLIV (Seleuc. 243 Chr.).”

Statua Palmyrenis recte dici potuit חלק, siue illa a laeuigando (حَلَفَ), siue a formando (حَلَفَ) dicta fuerit, siue simpliciter conferatur Arab. *حَلَفَ* forma exterior, effigies, quae statua exprimitur; vnde Hebraeis חֲלָק est idolum statua representatum (Ies. 57, 6). Iam autem statua, de qua loquimur, in Palmyreno titulo dicata dicitur Iulio Aurelio Sabdolo, in Graeco autem Iulio Aurelio Zenobio; vt adeo cognomen Iulii Aurelii pro diuersitate linguae diuersum esse videatur. *Sabdolo* enim est זבד מלחה, *donum Dei*, quo cognomine Iulius Aurelius a Senatu populoque Palmyreno ob sua in ciuitatem Palmyrensem promerita ornatus censi potest; quis vero eundem sensum ex graeco *Zenobii* nomine exsculpat? Nihil autem impedit, quo minus *Zenobii* nomen pro gentili habeamus, quod Palmyreni, gratum suum animum viro, de se multifariam merito, testaturi, in *Zabdolo* h. e. Theodorum permutauerint, saltem in hac inscriptione in gentilis locum substituerint.

Quibus autem rebus et factis Iulius Aurelius bene de Palmyrenis promeruerit ipsa epigraphe commemorat. Primum sub adventum Alexandri Seueri dux fuit populi (στρατηγός), Caesarem Palmyram deducentis, quae coloniae nomine innuitur, quandoquidem eam Hadrianus Imperator coloniam fecerat; vnde in nummo Caracallae apud Harduinum de populorum et vrbiū nummis (p. 373.) *Col. Palmyra* legitur. Notandus autem est in hac inscriptionis parte duplex lapicidae lapsus: etenim מטטרט litteram consonantem a exhibet quidem male formatam, attamen ex ducti-

bus litterarum subsequentibus facile agnoscendam; et pro במיתורתא aperte legendum est במיתורתא.

Deinde Iulius Aurelius praefectum Rutilium Crispinum in officiis suis exsequendis strenue et peritissime adiuvit. Rutilius quidem Crispinus nusquam in historiarum monumentis memoratus est; nec tamen haec huius nominis nostro tempore obscuritas lucem impediret huic monumento inferendam, modo praefecti, qui sedem Palmyrae habuit, officia accurate definire possemus. At praefecti etiam Palmyreni praeter hunc locum nulla occurrit mentio. Quidni igitur vel ex hoc solo dignitatem et auctoritatem praefecti Palmyreni exsculpamus? Qui praefectum tum temporis consiliis adiuvit, Iulius Aurelius Sabdolo, Iuris consultus fuit, iudicumque praeses; ex quo cogimus, praefectum Palmyrenum civilibus causis iudicandis praefuisse, quae in emporio, Indicis Arabicisque mercibus opulento, non potuerunt non frequentes et graues esse, satisque dignae Iureconsulti peritissimi cognitione: sic enim interpretamur שמש כריא ואחן (in iure dicendo) *minister* (s. adiutor) *idoneus et exercitatus*. שמש enim est is, qui ministrum se praebet alicui in negotiis, veluti in iudiciis iudici, adeoque qui quid iuris sit in qualibet causa suppeditat; כריא vero כריא et כריא sufficiens, idoneus. denique אחן pro ארחן (extrusa ad spatium lucrandum consonante י), is dicitur, qui fluxus est perennis in suo genere (a them. ארחן, *perennis fuit*, auct. א formatiuo), adeoque exercitatissimus in respondendo de iure. Quin imo laudes Iulii Aurelii adhuc augentur addito epitheto לרינאן לרינאן *avis* [alia forma מרינאן *m*] *eorum, qui edocti sunt*, vt *iudices* (לרינאן) olim agant, adeoque is, qui iudicium regit siue collegio iudicum praeest (qui Syris זנב; זנב).

---

m) Ita paullo post סנאל pro סנאל.

Denique donis in rempublicam repetitis vicibus collatis largis eminuisse dicitur Iulius Aurelius: qua sua liberalitate magnam sibi in regenda republica auctoritatem acquisiuerit. Quibus autem temporibus, vel quibus occasionibus hanc Iulii Aurelii republica Palmyrena experta fuerit liberalitatem, vt res, tempore erectae staturae omnibus nota, reticetur; nec nos hanc tituli nostri quasi lacunam coniecturis explere audemus, id ex Historiarum auctoribus edocti, multifariam veterum rerum publicarum ciues potuisse liberalitatis suae laudes publicas promereri, veluti ludos suis expensis instituendo, vel summam pecuniae ludis publicis habendis destinatam ex suo peculio augendo, et quae sunt huius generis alia. Ceterum in vocabulis hanc tituli partem exprimentibus nihil inest difficultatis, cum eorum notiones vsu tritae sint, et quidem ובר notione donandi, סגל, vel ex Palmyrenismo saepius obuio, סגמאל, peculii, ארב in Aphel augendi, שום summae, חס clementer se exhibendi, נרה siue נרמ doni largi. Nec extrema positione ורבר עם ורברתה aliquis facile offendetur, si ex Galilaeismo et Samaritanismo, Palmyrenis quoque familiari, רהש mutatum legerit in ראש, vt sensus exeat, *et gubernauit (republicam) vna cum summo magistratu pro ratione dationis*, h. e. fructus est in regenda republica ea auctoritate, quae magistratui tam liberali competebat.

Iam quidem Senatus populusque Palmyrenus homini de se suisque rebus bene merito honores ex suo arbitrio decernendi potestatem habuisse videntur, quandoquidem expensarum onus in eos recidebat, quanquam non primus in republica ordo essent, sed a summo magistratu, Dei nomine insigniri solito, penderent, eosque fortassis praefectus etiam praetorio dignitate praecederet. Nec tamen iustus rerum ordo permittebat, vt insciis magistratibus maioribus decretum tale exsequerentur: quare in fine huius inscriptionis additur, maioribus magistratibus ipsis testantibus non sine causa idonea Iulio Aurelio hunc exhiberi honorem: *haec Iulii Aurelii in rempublicam suam bene merita testantur Jerachbaal Deus et*



*Julius . . . , eius aequales, hominesque summae dignitatis.* Nec quiequam est, quod huic interpretationi obstet. Etenim Jerachbaal non esse nomen Numinis Palmyrae tutelaris vel ex eo patet, quod iunctus Iulio cuidam inter aequales Iulii Aurelii ponitur; vt adeo *Dei* nomen ad summum Palmyrae magistratum designandum pertineat: positio enim ultima (פר מרתה (מררתה) pro *aequales eius et alti dignitate* referenda est ad יהויס ואף יולהס, אלהא ואלהא בעל אלהא, ad eorum aetatem et dignitatem definiendam, eorumque testimonio fidem faciendam.

Lacunam, nomen Iulii insequentem, coniectura ingeniosa explevit Bernardus in inscriptt. Palmyr. p. 24. consentiente Smithio p. 64. addito nomine *Philippi* (sc. Arabis). “Haud quidem mirandum (inquit), si parricidae istius, qui hoc ipso anno, Apriano et Pepo Coss., a Gordiano praefectus praetorio creabatur, nomen proprium Philippus e monumentis publicis deletum fuerit n).” Iulius scilicet Capitolinus [in Gordiano tertio o)], Misistheo mortuo, “Apriano et Pepo Coss. (ait) in eius locum praefectus praetorii factus est Philippus Arabs, humili genere natus, sed superbus, qui se in nouitate et enormitate fortunae non tenuit: ita vt statim Gordiano, qui eum in locum *parentis* ascieuerat, insidias per milites faceret” — quibus narratis finem his verbis imponit: — “verum cum secum ipse cogitaret, amorem populi Romani et Senatus circa Gordianum et totius Africae ac Syriae, totiusque orbis Romani, quum et nobilis esset, et nepos ac filius imperatorum, et bellis grauibz totam rempublicam liberasset: posse fieri, vt factione quandoque militum Gordiano redderetur imperium, quum recentes in Gordianum irae militum famis caussa vehementes essent, clamantem ante conspectum duci iussit ac spoliari et occidi.”

n) Exemplum consuetudinis nomen ad odium testandum abradendi v. apud Capitolinum in Gordiano tertio c. 31.

o) Iul. Capit. l. c. c. 29. 30.

Ad annum Sel. 566. Chr. 255.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. VI. gr. 12. Swinton philos. Transact. Vol. 48. tab. 24. VI. gr. 12. et p. 716.

בללא ורמוס ליוליס אורליס  
 בר אדוכת מרדא סלוקוס בר  
 . . . . . ושילארי שמש ושבר  
 להון באסרשגות דו מגד לבללא  
 . . . . . נרבר ליקרה בירח תשרי  
 שנת קסו

Graecus inscriptionis textus ita mutilatus est, ut sani nihil inde promi possit. Quare eum omittimus. Nec Palmyrenus tricis caret, quem hanc ob causam ad verbum ita reddimus. "Senatus populusque Iulio Aurelio, filio Odenathi Maddae, Seleucio filio . . . et Seeilario. Eximie ministrarunt sibi. Donum hoc est Senatus . . . Sponte obtulerunt honoris causa mense Tisri anni 566. (Seleuc., Chr. 255.)," h. e. Senatus populusque (Palmyrenus) ob officia sibi praestita Iulio Aurelio donum (hoc statuae) sponte obtulerunt honoris causa.

Cum historia Palmyrena prorsus interierit, mirum non est, nominum, in hac inscriptione occurrentium, priorum neminem mentionem facere. Quare nec nos morantur: hanc tamen quaestionem silentio praeterire non licet, utrum מרדא lineae secundae ad nomen Odenathi curatius definiendum pertineat, an vero מרדא (Iulium Aurelium *celebrat*) efferendum sit. Prior ratio commendatur facilitate, posterior autem paulo impeditior est, ob insequentem eiusdem notionis repetitionem לבללא דו מגד (hoc est donum Senatus): videlicet hoc in primis statuae dono nominis celebritatem consecutus erat Iulius Aurelius. Nec priori rationi aliquid obstat praeter orthographiam, quandoquidem idem nomen in graecis inscriptionibus obuim Μάρθα scribitur *p*), non autem Μάρδα. Quis au-

*p*) v. inscriptionem quintam Palmyr. cum scholiis et annotationibus Ed. Bernardi et 1h. Smithi p. 3.

tem ignorat orthographiam exoticorum nominum propriorum ad sonum auribus exceptum graecis litterarum ductibus expressorum saepius variare?

Perginus ad verba שמש ושמר (ministrauit et pulcher fuit **L. e.** eximie ministrauit). Quae quum ad tria nomina propria referenda sint, scribenda quidem fuissent שמש ושמר: verum ו. nota pluralis praeteriti potuit omitti, atque ob spatii angustiam in inscriptionibus saepe omittitur, id quod iam biblia polyglotta Londinensia T. VI. in admonitione ad lectorem de versione Syriaca adnotarunt his verbis: “monendus est lector in personis verborum, in quibus o masculinum plurale vel א femininum siue singulare siue plurale reticetur sine discrimine vel apponi o et א vel omitti solere ab eis, qui syriacos Codices scribunt.”

Lacunae temporis iniuria in nominibus propriis historiae incognitis exortas quis expleat? Hinc et nos priorem inscriptionis lacunam non tangimus; posterior autem, ratione ruderum graeci textus habita, qui in illo loco *μυρίας* (*Παλμυρίας* reliquias) exhibet, cum omni veri specie expleri potest (דומים: תרמור) *donum hoc est Senatus populisque Palmyreni*. Hinc etiam in plurali legitur כרבר *sponte obtulerunt*.

Ceterum in linea quarta inscriptionis ex vulgari linguae Syriacae ratione lapidi incidendum fuisset באסטרטגיא; sed quis neget formam etiam באסטרטגרת Syris potuisse in vsu esse.

Ad annum 563 Seleuc. 252 Chr.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. V. gr. 11. *Swinton Philos. Transact.* Vol. 48. tab. 24. num. V. gr. II. p. 707.

חלקא רנה די ספטמיוס אירן בר  
 ארינת סנקלטיקא נהירא ורש  
 תדמור די מקום לה אורלים  
 פלינוס בר מריא פלינאר די פלחא  
 רב לגיונא די בחרא ליקרה בירח  
 תשרי די שנת 563

Græcum titulum valde mutilum omittimus. Palmyrenus ita reddendus est: „statua hæc est Septimii Airanis filii Odenathi, Senatoris splendidi et primarii Palmyreni, quam ei erexit Aurelius Philinus, filius Marii Philinaris, militis, ducis Bitherensis, honoris causa mense Tisri anni 563. (Sel., Chr. 252).”

Tam Septimius Airanes quam Aurelius Philinus, eorumque maiores sunt historiae prorsus incogniti: חלקא est *statua*, de quo nomine ad inscriptionem anni 554 Sel. 243 Chr. diximus, סנקלטיקא, *συνακλήτικος*, Palmyrae nomen fuit Senatoris, cui epitheton *splendidi*, כדירא, si ad ordinem referatur, optime conuenit. Obscurius est alterum epitheton רר; quod tamen, si pro ריש scriptum autumes, *primarium* h. e. magnâ auctoritate valentem Senatorem significare potest.

Statuam hanc erexisse dicitur Aurelius Philinus in memoriam Septimii Airanis, Senatoris Palmyreni: Philinum autem ipsum patrem habuisse celebrem, ducem legionis praesidiariae Bitherensis. Erat Bithera hæud procul ab vrbe Hierosolyma, vrbs munitissima q), in qua Bar Chosba, falsus Iudaeorum Messias, contra Hadrianum Imperatorem eum obsidentem, pertinaciter se defendebat. Nec post captam ab Hadriano urbem praesidio carere potuit vrbs munitioribus septa: id, quod hac inscriptione confirmari potest, quae patrem Marii Philini memorat praefectum fuisse legioni Bitherae praesidiariae.

Ad annum Seleuc. 569, Chr. 258.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. VII. gr. 13. *Swinton* Philos. Transact. Vol. 48. tab. 24. num. VII. gr. 13. p. 707.

חלקא רנה די ווליס אורליס  
שלמלה בר מלא עברי רב שירחא  
די אקומת לה בולא ורמס ליקרה  
די אסק שירחא מער מנן יסה  
שנת קסט

q) *Relandi* Palaestina p. 639.

*Classis Hist., et Philol. Tom. VI.*

Graecum textum valde mutilum omitimus. Palmyrenus haec exhibet: „Haec est statua Iulii Aurelii Schahualath, filii Malae „Hebraei, ducis societatis peregrinatorum, quam in eius honorem „erexit Senatus populusque, quod adduceret. (talem) coetum. „Gratis solebat itinera facere. Anno 569. (Seleuc., 258 Chr.).”

מלא, *Μάλας*, est nomen viri proprium. Simile occurrit in inscriptione septima Bernardi et Smithii p. 4. שירחא מלא est coetus, caterua hominum iter facientium. מלא, מלא, solitus, consuetus; מלא מלא solitus erat. מלא, מלא gratis. יסח, coll. יס, יס, יס ambulauit, processit.

Ad annum 574. Seleuc., 263 Chr.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. X. gr. 19. *Swinton* Philos. Transact. Vol. 48. tab. 25. num. X. gr. 19. p. 695.

ספטמיס ורוד קרטסטס אמטרפא  
דוקנרא די אקים ליקרה  
יוליס אוליס נביבר בר שערורדרא  
אמטרנא די קלניא לרחמא  
שנת 574 בירח פללול

Graecum textum mutilum praetermittimus. Palmyrenus basi statuae inscriptum exhibet: „Septimius Orodes (Vorodes, Horodes) excellentissimus Procurator Ducenarius. (Statuam eius) erexit honoris causa Iulius Aulis (Aurelius) Nabihar, filius Saaruchidae, dux coloniae, amicitiae testandae causa, anno 574 (Chr. 263.) mense Apellaeo (Octobre).”

Procurator Ducenarius dicebatur in prouinciis, qui reditus imperatoris curabat et cui ducena sestertia stipendii nomine constituta erant (v. *Salmasium* ad Iulii Capitolini Pertinacem Imperatorem c. 2. T. 1. ed. Lugd. Bat. 1671. p. 533.). Ex quo loco colligi potest, Romanos imperatores, tum temporis ante susceptam ab Odenatho augustam dignitatem, reditus quosdam e regione Palmyrena percipisse.

Septimio igitur Orodi (s. Vorodi), Procuratori Ducenario, qui fortassis fuit Odenathi filius natu maximus, amicitiae caussa (מרחמא) statuam posuit Iulius Aurelius (יוליוס scilicet, pro יוליוס legendum videtur) dux exercitus (מטרתא enim ex lapsu lapicidae legitur pro מטרתא) colonici h. e. Palmyreni, quandoquidem Palmyra inde ab Hadriani tempore colonia fuit. הללוך procul dubio est nomen mensis autumnalis secundi Macedonici, qui Apellaeus dicebatur (v. *Norisii* annus et epochae Syro-Macedonum).

Ad annos Seleuc. 575 - 578. Chr. 263 - 267.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. IX. gr. 17. *Swinton* Philos. Transact. Vol. 48. tab. 25. num. IX. gr. 17. p. 694.

ספטמיוס ורוד קרטטוס משטרמא

דקרה וארגבטא מקום יוליוס

אוריו שלמא בר קסנא בר . . . .

Σεπτίμιον Ὀουρωδῆν τὸν κράτιστον ἐπίτροπον Σεβάσιον Δουκηνάγιον καὶ Ἀργαπέτην Ἰουλίος Ἀυρήλιος Σάλμης Κασσιάνου τοῦ . . . εναιουῖ ἰππεὺς Ῥωμαίων τὸν Φίλον καὶ προστάτην ἔτρος ἡοϕ̄ μένει ζανδίκω.

In basi statuae: "Septimius Orodes (Horodes, Vorodes) excellentissimus Procurator Caesaris et Argabetes." (Statuam eius erexit Iulius Aurelius Salma, filius Cassiani, nepos. . . .

Cum haec epigraphae incidere, Palmyrae sedem habuit Caesar, cuius Procurator erat Septimius Orodes. Quis hac in re non agnoscat tempus Odenathi, qui Augusti et Imperatoris titulo prae-fuit Orienti annos aliquot, certe quatuor, nisi quinque (ab an. post Chr. natum 263 - 267). Quoties igitur Odenathus post susceptam augustam dignitatem contra Persas pugnatum iret, Septimio Verode procuratore vsus videtur, et Argabete. In oculos quidem incurrit, Argabetis nomine alteram officii ipsi impositi partem contineri; sed qualem, in obscuro iacet, nisi nulla orthographiae ratione habita, quae solum sonum auribus perceptum nec etymologiam in exprimendis

vocabulis exoticis saepe sequitur, in locum Ἀρχαβέτης substituas Ἀρχιβέτης r), quo *dux*, qui primus in exercitu incedit, designatur: nec quisquam procuratorem cum dignitate agere potuisset, nisi magna copiarum vi sibi duci commissa.

Erat autem Orodes, Odenathi filius maximus natu, non Zenobia matre sed priore coniuge genitus. Quod autem consors imperii orientalis a patre factus esset, in invidiam nouercae Zenobiae incidit, nec ea inscia a Maeonio, Odenathi consobrino, vna cum patre interfectus est an. Chr. 267. s). Erat igitur procurator Palmyrae, antequam in imperii consortium a patre reciperetur.

Ad annos Seleuc. 575 - 578. Chr. 264 - 267.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. VIII. gr. 16. Swinton Philos. Transact. Vol. 48. tab. 25. num. VIII. gr. 16. p. 694.

ספספס ורר קרסוס ספספס  
 ספספס ורר קרסוס ספספס  
 ספספס ורר קרסוס ספספס

Graece: Σεπτ. Ουορώδη τὸν κράτιστον ἐπίτροπον  
 Σεβάστου Δουκηνάριον καὶ Ἀρχαπέτην Ἰούλιος Ἀυρήλιος

r) Ad formas Ἀρχηγέτης *dux* et στρατοβάτης *miles*. Possis tamen etiam Αρχιβέτης diuinare, vel Ἀρχιβέτης. Nam in vocalibus saepe variatur. Sic scribitur Ὀδανάτος, Ὀδονάθης, Ὀδενάθος, Ὀδάλναθος et Ὀδηνάθος.

s) *Trebellius Pollio* de Odenatho XIV. Nisi Odenathus princeps Palmyrenorum capto Valeriano, fessis Rom. Reip. viribus sumsisset imperium, in Oriente res perditae essent. Quare assumto nomine primum regali cum vxore Zenobia et filio maiore, cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano et Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est: cet. — Idem de Maeonio XVI. Dicitur autem primum cum Zenobia consensisse, quae ferre non poterat, vt primum eius Herodes priore loco quam filii eius Herennianus et Timolauus principes dicerentur.

Σεπτίμιος Ιάδης ἰππικὸς Σεπτιμίου Ἀλεξάνδρου τοῦ  
Ἡραδίου ἀπὸ στρατιῶν τὸν Φίλον καὶ προστάτην τειμῆς (τιμῆς)  
ἔνεκεν ἔτους ἡοφ̄ μῆνι ζανδίκῳ.

In basi statuæ: "Septimius Orodes (Horodes, Vorodes) ex-  
cellentissimus Procurator Caesaris et Argabetes. (Statuam eius)  
erexit Iulius Aurelius Septimius Jada Hippicus, (sive artis eque-  
stris peritus sive equestris ordinis)."

v. quæ ad monumentum antecedens monita sunt.

Sine anni nota.

Recherches curieuses d'Antiquité par Mr. *Spon*. cum figuris p. 69.  
sine figuris et litteris quidem male formatis, attamen ad primæ li-  
neæ lectionem definiendam non negligendis, in *Relandi* Palaestina  
ad p. 526. num. 2. legit tabulam *Barthelemy* dans les reflexions sur  
l'Alphabet et sur la langue, dont on se servoit autrefois à Palmy-  
re (Paris 1754. 4.) tab. 3. coll. *Swinton* in *Philos. Transact.* Vol. 48.  
tab. 30. num. 3. p. 753. *Georgii* de inscriptionibus Palmyrenis epi-  
stola p. 107. In villa Bosia Romæ exstat hoc monumentum:

עלמא דה למלכבל אלה דרמר  
קרב טברס כלודיס כלביא  
דדרמריא לאלהיהן שלם

"Aram hanc Malachbelo, Deo Palmyrae, obtulit Tiberius  
Claudius. Calabenses et Palmyreni Deo suo (votum) soluerunt."

Calabenses, Calabae prope Edessam, vt videtur, nati t), et  
Palmyreni, Deo Palmyreno, h. e. Regi Soli (Malachbelo) aram vo-  
verant, si ex bello vel victores, vel in vniuersum sospites ac salui  
redierint. Iis igitur voti damnatis dux eorum, Tiberius Claudius,

---

t) Hanc nimirum Calabam vicinia commendare videtur. De ea consule  
d'Anville l'Euphrate et Tigre p. 14.



eorum nomine, exstructa ara, votum soluit. Hanc ex inscriptionis argumento arae causam fuisse suspicamur.

Exhibet autem ara anaglyphum marmoreum in quatuor partes ditiusum. In extrema cernitur caput velo cinctum, ex quo coniectus, sacerdotem illo prodi; qua tamen interpretatione posita falcis e regione eius proiectae sensum non assequimur. Secunda pars, inscriptione latina insignita, exhibet protomen, aquilae impositam, cum capite radiato ei pectore chlamyde regia inuoluto. In tertia, cui subest Palmyrena inscriptio, eminent figura mascula, curru vecta, cui quatuor gryphes quadrupedes, rostro praediti alisque aquilae et corpore lupi, iuncti sunt; a cuius tergo ei imminet Victoria, coronam capiti eius impositura, Solis *inuicti* signum. Vltimam partem occupat laurus, Soli sacra.

Num hoc monumentum Romam Palmyra allatum sit, ignoramus quidem; verum non dubitamus aram ipsam Soli, omnium siderum rectori (Malachbelo) communi militum voto nuncupatam fuisse, nec potuisse, quam Palmyrae, commodiorem locum inuenire, cuius templum Soli sacrum per totum Orientem atque Occidentem celeberrimum fuerit. Ceterum lectionem Palmyrenam nusquam sollicitamus. דה enim pro דא scribi potuit ex Palmyrenorum, litteras gutturales inter se permutantium, et לאלהי pro שלם, למי pro שלם, ex Syrorum, ה in tertia praeteriti pluralis numeri non efferentium, et לאלהיהוה pro לאלהיהוה ex lapicidarum litteras seruales ob defectum spatii saepe omittentium, consuetudine.

Sine anni nota.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. XI. *Swinton* Philos. Transact. Vol. 48. tab. 25. num. XI. p. 705.

בלמיחל בר מיגיאתח

מעוז בר והבלת

Balmichal Bar Mogiathath

Mazo Bar Vahbalath.

Ruins of Palmyra tab. 25. num. XII. *Swinton* l. c. Vol. 48. tab. 25.  
num. XII. p. 705.

אמתחא בר חבלעקב בר נשא  
אחחאלהסל בר והבלת

**Amtacha Bar Tebelakab Bar Nasa**  
**Aththalehsal Bar Vahbalath.**

His nominibus propriis illustrandis nihil ex historia suppetit, quanquam nomen והבלת hic ibi in scriptoribus antiquis occurrat. Quartus adeo Odenathi filius Vopisco in Aureliano Balbat, etiam Uhalabat et in numis Vaballath dicebatur. v. *Erasmi Frölich* de familia Vaballathi, numis illustrata. Vindob. 1762. 4.

Praeter hac marmora, titulis Palmyrenis inscripta, quantum equidem noui, nulla supersunt: adeoque nullum ex gloriosissima ciuitatis periodo, qua sub Odenathi et Zenobiae imperio per decem circiter annos totius Orientis domina fuerat. Vrbs quidem ipsa vna cum monumentis publicis integra seruata erat, cum Zenobia caperetur ab Aureliano; postea autem rebellis ab eodem euersa est, qua occasione in monimenta, ab Augustis Palmyrenis profecta, data opera saeuitum fuisse videtur, vt vna cum potestatis suae, ad quam denuo adspirauerant, documentis eius etiam memoria deleteretur. Solis quidem templum ex superstitione instaurari iussit Aurelianus, de eo, vt ex epistola eius ad Ceionium Bassum data apparet, sibi gratulatus, quod pristinae dignitatis restituendae nulla spes supersit, paucis et exilibus ruderum Palmyrenorum incolis u).

u) *Flavii Vopisci* Aurelianus c. 31. "Rarum est, vt Syri fidem seruent, imo difficile. Nam Palmyreni, qui iam victi atque contusi fuerant, Aureliano rebus Europiensibus occupato, non mediocriter rebellarunt. Sandarionem enim, quem in praesidio illic Aurelianus posuerat, cum sexcentis sagittariis occiderunt, Achilleo cuidam parenti Zenobiae parantes imperium. Verum adeo Aurelianus, vt erat paratus ex Europa reuertit: atque urbem, quia ita merebatur, euer-

tit. Crudelitas denique Aureliani, vel (vt quidam dicunt) seueritas, eatenus extitit, vt epistola eius feratur, confessionem immanissimi furoris ostentans, cuius hoc exemplum est." "Aurelianus Augustus „Cecionio Basso. Non oportet vltcrius progredi militum gladios; „iam satis Palmyrenorum caesum atque concisum est. Mulieribus „non pepercimus, infantes occidimus, senes ingulauimus, rusticos „interemimus: cui terras, cui vrbem deinceps relinquemus? Par- „cendum est iis, qui remanserunt. Credimus enim tam paucos „tam multorum suppliciis esse correctos. Templum sane Solis, „quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiae cum vexilliferis et „draconario et cornicinibus atque liticinibus diripuerunt, ad eam „formam volo quae fuit, reddi. Habes trecentas auri libras e Ze- „nobiae capsulis: habes argenti mille octoginta pondo. De Palmy- „renorum bonis habes gemmas regias. Ex his omnibus fac coho- „nestari templum: mihi et diis immortalibus gratissimum feceris. „Ego ad Senatum scribam, petens vt mittat pontificem qui dedi- „cet templum."

---

---

DE  
P H I D I A E V I T A  
COMMENTATIO PRIOR  
C. ODOFR. MUELLERI,

RECITATA IN CONSESSU SOC. REG. D. XIX. JUNII A. MDCCCXXIV.

---

1. Cum in his consessibus de iis potissimum agere constituerim, quae in historica artium ab antiquis populis culturarum cognitione luce sua adhuc carere videntur: mirum fortasse videbitur quid sit quod me perpulerit, ut primo loco Phidiaë vitam et aetatem tractandam mihisumerem: argumentum tum in omnium oculis positum et studiis doctorum virorum magnopere frequentatum, tum dignitate, amplitudine, claritate in archaeologicis literis nulli facile secundum. At enim duae sunt causae, quibus in spem adducor, fieri posse, ut de ea re etiam nunc quaedam non inutiliter disseram, neque temere in eam inuectus videar. Altera consistit in ipsis ex arce Athenarum in Angliam nuper deuectis statuï, quibus, ut non dicam Phidiacum caelum, certe tamen Phidiae ingenium formam figuramque dedisse iam plerique consentiunt, ita ut hinc demum iustam huius artificis notionem concipere mentique nostrae imprimere liceat, quo equidem negotio, donec in Britannia versari licebat, nihil existimari antiquius. Alteram causam, quae illi priori quodammodo consequens est, habemus in hoc, quod disciplina historiae artis ingenio Joannis Winckelmann sollerter

excogitata in ea tamen, qua de Phidia agit, parte inter omnes maxime imperfecta, imo falsa deprehenditur: quod tamen absque inuidia tum viri immortalis, quem corrigere multo facilius est quam aemulari, tum eorum dictum velim, qui nostra aetate ea, quae de originibus et primis temporibus artis ab illo erant prolata, ceteris omnibus infirmiora iudicarunt, eique infirmitati primae mederi studuerunt. His duabus causis ut permotus sum ita facile excusatus ero, si iam ad ipsum antiquae artis fastigium me efferens studia mea per aliquod tempus in *Phidian* conuerto. In quibus quum duplicem viam ingredi possimus, alteram quae a notione aetatis ad viri singuli cognitionem pergit, alteram quae diuersa ratione initur: nomen viri in arte fere vnicum facit ut hanc faciliorem et compendiosorem iudicemus.

2. Phidias natus est patre Charmide, ciue Atheniensi. Vtrum artem inde a maioribus hereditariam quodammodo acceperit nec ne, constituere haud ausim; certe posteri Phidiae artis disciplinam vel a Phidia vel ab antiquiore quodam parente conditam religiose seruasse videntur. Vix enim hisce munus Phaedyntarum, i. e. politorum et conseruatorum signi Iouis Olympii, ab Eleis demandari poterat, nisi eius artis, qua illud confectum erat, aliqua peritia iis adhuc inesse credebatur *a*). Ne autem forte putes, gentilicium artis cultum a Pericleo aeuo alienum, eoque omnia antiqui moris vincula instinctu liberioris animi iam fuisse soluta, satis est monere etiam Socratem, licet Phidia aetate inferiorem, artem sculpendi auitam et haereditariam quodammodo exercuisse quippe e gente Daedalidarum et patre sculptore prognatum. Quan-

---

*a*) V. Pausaniam V, 14, 5. Is etiam refert Phaedyntas ad aram quandam in luco Iouis Minervae Erganae sacra fecisse, idemque gallum gallinaceum in casside Minervae Eleae a Phidia factae symbolum Erganae putat (VI, 26, 2.), vnde fere libet coniecere, Phidiae genti sacra Erganae Palladis fuisse patria.

quam id per se intelligitur, certe tum neque filios artificum, vt paternam artem exercerent, vlla fuisse necessitate adstrictos, neque ceteros vt ea abstinerent, ita vt, cum illi consuetudine et more tradito, hi suoapte ingenio liberoque animi motu ad artem exercendam ferrentur, obseruantia disciplinae a maioribus transmissae propriam animi ad altiora enitentis vim moderaretur quidem et temperaret sed debilitare et infringere amplius haud posset.

3. Haec de Phidiae origine. Sed tempus, quo natus est, e rationibus infra afferendis apparebit, in Olympiadem fere LXXIII cadere: quo tempore pugna ad Marathonem iam pugnata maius et nobilius bellum instabat, quo Atheniensium populi vires, adhuc sepultae et inertes fere, acriter suscitarentur, et in summa omnium inter se contentione vltra, quam antea exspectauisses, nunc crederis, auerentur. Quod tum maxime factum, quum Athenis ab insularibus et ciuitatibus Asiae principatus belli aduersus Persas gerendi demandatus atque publicum in insula Delo aerarium ab Aristide conditum esset: ex quo tempore (Olymp. LXXVII. a. 3.) Athenienses ipsi imperantes, aliis belli subsidia ministrantibus, eam animi audaciam atque magnitudinem excolere poterant, quae tum Graecos tum barbaros vel terrore vel admiratione percellere debebat. Mox vero bello cum barbaris omisso *b)* id magis efficere studebant Athenienses, vt inter Graecos quasi reges et iudices essent, atque, communi aerario in urbem suam translato *c)*, opes ciuitatum nomine sociarum, reuera subditarum, nulla simulatione in suos vsus conuertere coeperunt. Inter sumptus autem, quibus Athenienses tum minime parcebant, nulli erant laudabiliores et nobiliores, quam quibus simul urbem suam exornabant, decrum sacra illustrabant, bonis artibus et stimulos addebant et materiam suppe-

---

*b)* Athenienses bellum iam antea neglectum vltro inferre desiere, ex quo Cimo obiit, Ol. LXXXII, 4.

*c)* Quod factum esse videtur Ol. LXXIX, 3.

ditabant. Cuius rei qui viri auctores exstiterē, non antea tamen de vrbe exornanda cogitare, quam muniendae consuluerant. Et Themistocles quidem totus adhuc erat in muris exstruendis *d*): atque Cimo arci Athenarum murum qui meridiem spectabat addidit, et muros longos per loca humida et palustria magno cum opere et labore deducere coepit *e*). Sed idem tamen etiam forum Athenarum pulcrius exaedificauit plataisque conseuit, et Academiam, qui ante fuerat locus sterilis et squalidus, lucum aquis et umbra amoenum effecit. Quibus plus ad artium splendorem augendum contulerunt Poecile porticus, quae iam antea nomine Πεισιανακτείου exstructa steterat sed tum primum parietes tabulis vestiendos praebuit *f*), atque Thesei templum, post ossa herois ex insula Scyro Athenas delata, Olympiadis LXXVII. a. 4. conditum *g*) et annis insequentibus opere sculpto picturisque magnifice

- d*) Nam Vitruvii loco, V, 9. de Oedeo exstructo, vbi vulgo Themistocles legitur, nulla fides habenda; Lycomidarum autem τελευτήριον et Dianae Ἀριστοβούλης sacellum domesticum, de quibus Plutarchus narrat, exigua fuisse videntur. Iouis denique Seruatoris in Piraeo aedem potius ad *Conionem*, quam cum Aloysio Hirt (Histor. Archit. T. II. p. 7. 8.) ad Themistoclem, retulerim: nam, cum Cono Piraeum Olymp. XCVI. a. 4. instaurauisset, Cephissodotum, sculptorem circa Olymp. CII. florentem, inuenimus Mincruam mirabilem in portu Atheniensium facientem et aram ad templum Iouis Seruatoris in eodem portu, cui pauca comparantur. Verba sunt Plinii Nat. Hist. XXXIV, 19, 14. Cf. de hoc templo Liv. XXXI, 30.
- e*) Plutarch. Cimone 13. cf. Nepos Cim. 2. Hunc si sequeris, haec Olymp. LXXIX, 3. gesta videbuntur, si illum, Ol. LXXVIII, 3. 4.
- f*) V. praeter alios rhetorem in hypothesi ad Miltiadis. elogium in Aristidis πρὸς Πλάτωνα ὑπὲρ τῶν τεσσάρων oratione: ἐφ' οὗ ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι γραφῆναι τὴν Πεισιανάντειον στοάν, ἥτις ὕστερον ἐκλήθη ποικίλη. Locum indicat J. Rutgersius Var. Lectt. V, 1.
- g*) Archonte Phaeone, non Phaedone, vt puto. Cf. Corsini F. A. II, 1. p. 189. Boettiger Ideis ad Pictur. archaeol. I. p. 274 sqq. Aphepsio in locum Phaeonis subrogatus esse videtur.

exornatum *h*). Et Thesëum et Poeile porticus probant, nullam hoc tempore artem apud Athenienses in maiore honore fuisse quam picturam, quod maxime effecisse videtur *Polygnoti* pictoris tum in arte excellentia tum insignis cum Cimonis domo familiaritas. Quem natione Thasium, ciuitate Atheniensem, si recte conicio cum Cimone, cum hic Thasios aduersus Athenas arma moventes ad deditionem coëgisset, in hanc urbem deuenisse *i*), quapropter hunc semper tanquam patronum sectabatur: ab Olympiadis inde LXXIX. anno 2 opera eius, quae Athenis exstabant, facta esse censenda sunt *k*), atque hinc pingendi artis apud Athenienses celebritas deriuanda.

4. Sed redeo ad Phidiam, a quo quae hucusque dixi, minime aliena sunt. Hic enim, quo tempore pictor Thasius Athe-

*h*) Quibus etiam Anaceum addit, recte vt puto, Hirt l. l. II. p. 11.

*i*) Obmouere quidem possis, Elpinicen natam circa Ol. LXIX. et quadragenariam fere, quo tempore frater eius Thasios deiecit, vix tum potuisse a Polygnoto tantopere amari et in Poeile porticu inter Troadas Laodices nomine ornari, V. Plut. Cim. 4. Qua ratione etiam Lessingius, Soph. Vita p. 108., motus est, vt Polygnotum antiquiorem faceret. Nihilominus Elpinice eodem tempore (Olymp. LXXIX, 2.), pulcritudine confisa, Periclem cum fratre conciliare poterat, quanquam ab eo *amis* appellabatur (Stesimbrotus ap. Plut. Pericl. 10. Cimon. 14.), quo quidem nomine Olymp. LXXXV, 1. dignior erat (Plut. Per. 28.). Contra Plinius in alteram partem errat, cum Polygnotum *post Panaenum*, quem Olymp. LXXXIII. ponit, clarum fuisse dicit, quo tempore Cimo iam mortuus erat. Cf. Henr. Meyer in Ephem. liter. Jenens. T. III. 1805. p. III. et Boettiger l. l. T. I. p. 270.

*k*) Quamdiu floruerit, inde intelligitur, quod aedacula cum Propylaeis coniuncta, quae ab Olymp. LXXXV. a. 4. struebantur, tabulis Polygnoti exornata est (Pansan. I, 22. 6.); recteque Plato in Gorgia, qui dialogus e probabili computatione Olympiadis LXXXVIII. a. 2. habitus fingitur, eius cum fratre viuientis adhuc mentionem fecisse videtur, p. 448.



nas denegerat, quatuor fere et viginti annos natus, allectus, puto, noua huius artis gloria eidem operam dare coepit. Eamque artem etiam postea retinuit Panaenus, Phidiae frater, vel, vt vnus Strabo fortasse rectius *l)*), fratris filius, sed et hic iam, si Plinio fides *m)*), circa Olymp. LXXXIII. florens. Phidiam autem ab initio pictorem fuisse et Olympii Iouis templum, quod Athenis Pistralidae struxerant sed imperfectum reliquerant, tabulis exornasse, eodem auctore constat *n)*): quod Cimone adhuc vivente factum esse probabile videtur.

5. Qui cum Olympiadis LXXXII. anno 4. diem supremum obiisset *o)*, Pericles, qui iam aliquot annos auctoritate apud Atheniensium populum cum illo certauerat, nunc fere solus reipubli-

*l)* VIII, 542.

*m)* XXXV, 8, 34. Ceterum de Panaeno lege, quae copiosissime disputauit Böettiger libro laudato. Hoc vnum addo: Plistaenetum, Phidiae fratrem, cum vno tantum loco occurrat, ap. Plutarchum de gloria Athen. 2. p. 84. H., et nomen non multum distet a Πάναινος, vel Plutarchi vel scribae erroris originem debere. Ego eo confidentius repono Πάναινον, quod eo loco haud obscure respicitur ad pugnam Marathoniam a Panaeno pictam, verbis: οἱ μὲν στρατηγὸς ἔγρηψεν νικῶντας: Panaenus enim Plinio teste XXXV, 8, 34. duces in eo proelio iconicos pinxerat; μάχη contra etiam ad Niciam spectant, quippe qui proeliis equestribus insignem laudem meruerat.

*n)* Plinius Natur. Hist. XXXV, 8, 34. Locum de Olympio nuper interpretati sunt Jacobs Amaltheae T. II. p. 247. et Siebelis Ind. in Winkelmanni Opp. p. 324. — Hinc fides aliqua additur famae alioquin non satis probabili de picturis Phidiae in Arado insula Phoeniciae exstantibus, apud Pseudo-Clementem Recognit. VII, 12. 13. cf. Clementin. Homil. XII, 12.

*o)* Diod. Sic. XII, 4. Huius obitum, Heynio obseruante, *Sammlung antiquar. Aufsätze* I. S. 189., historici Graecorum scriptores epocham fecerunt, qua bellis interiicerent pacis artium artificumque mentionem.

eam capessuit. Is postquam muros, quibus vrbs cum portubus coniungeretur, inchoatos iam a Cimone, absolvendos populo persuaserat, quod Olymp. LXXX, 3 et 4. factum esse e Thucydide colligitur, eoque Athenarum munimentis quasi fastigium imposuerat: iam civium oculos, sociorum tributa, artificum studia summo fervore conuertere coepit in urbem magnificis operibus mirum quantum exornandam, aedesque, quibus barbarorum impietas deos Graecanicos spolianerat, iis maiores et multo splendidiore reddidit. Quod vt communi Graeciae consilio per omnes eius regiones simul fieret, legatis ex plebiscito Atheniensium missis efficere studuit: quod ex Plutarchi mente factum est, antequam primum inter Peloponnesios et Athenienses bellum glisceret, id est ante Olymp. LXXX, 3. p). Sed haec ambitiosius et ostentationis causa flagitata esse videntur; attamen Athenienses ex hoc tempore, quae communiter vix fieri poterant, ea apud se vt fierent summo studio curasse constat. Hinc continuo ordine aedem Cereris Eleusiniam, Hecatompodon, Odeum, aedem Minervae Suniensem, alia in agro Attico deorum delubra, Acropoleos denique Propylaea exstructa esse compertum habemus q). Quae pleraque omnia quinque, quae bellum Peloponnesiacum praecessere, olympiadicis, a LXXXII ad LXXXVII, inchoata et absoluta sunt. Nam Odeum, vt Cratini versibus quibusdam docemur r), iam exstruendum cu-

p) Plut. Pericl. 17.

q) Aedes publicas hic omitto, quo pertinet Lyceum gymnasium, quod Pericle epistata institutum tradit Philochorus ap. Suidam p. 53. ed. Lenz et Siebelis, (sed alii alia de ea re) atque ἀλφειοπηγίς in Piraeo (Schol. in Aristoph. Acharn. 553). Etiam Ἰπποδάμειος ἀγορὰ Periclis temporibus exstructa est (de Doriens. II. p. 255. 4.).

r) Ap. Plutarch. Pericl. 13.

Ὁ σχινοκέφαλος Ζεὺς ὄδε προσέρχεται  
 Περικλέης τῷδεῖον ἐπὶ τοῦ κρανίου  
 Ἐχων, ἐπειδὴ τοῦστραχον παροίχεται.

ranerat Pericles, cum Thucydidem, factionis aduersariae principem, suo ipsius periculo per ostracismum expulit, quod factum est Olymp. LXXXIV. a. 1. s). Atque iam tum erant, qui Periclem ob ingentes sumptus, quos in opera publica fecerat, apud populum diffamare tentarent *l)*. Iam insequentibus annis Hecatompedon exstructum et absolutum, et hoc confecto statim Propylaea acropoleos condita esse, postea videbimus *u)*. Haec sane omnia, tanquam tum temporis Pericli magnam inuidiam contraherent, generosissimum nobis et paene diuinum in hoc viro spiritum probant, quem fortasse etiam auita gentis Buzygum, ex qua ortus fuisse traditur Pericles *x)*, sacra Palladia et Cerealia *y)* aluisse putanda sunt.

6. Sed

s) Plut. Pericl. 16.

l) Ib. 14.

u) §. 11. 16. *Propylaea Eleusinia*, astycis tam similia, vt fere eadem videantur, eodem tempore exstructa puto. Templum *Nemeseos* mains sine dubio iam inchoatum erat, cum statua deae, de qua post sermo erit, (§. 20.) dedicaretur.

x) *Eupolis* ap. Aristid. Or. in Platonem T. II. p. 130. Jebb. cum Scholio. Video tamen nunc, Frommelium ad Schol. Aristid. p. 176. contra Scholiorum auctoritatem haec non de Pericle, sed de Demonstrato rhetore dicta intelligere, sed mihi ipsum illud, in quo *δυσχερλίθειν* videtur, *ὁ ἀλιτήριος* ad Periclem, *τὸν ἐναγῆ*, omnium optime referri posse videtur. *Eupolis* autem loco ap. Schol. Lysistr. 398. Demonstrati clamosos sermones cum alta voce Buzygis i. e. Periclis, de iniuria querentis, comparasse tantum, et huc respexisse videtur Aristophanès. Sed fateor, rem esse altioris indaginis.

y) V. Plutarch. Coniug. praec. T. VII. p. 425. H. Hesych. s. v. *Βουζύγγος*. cf. Minervae Poliadis sacra etc. p. 4. Maxime memorabilis est titulus Atticus in Corp. Inscr. n. 494., quo sacerdos Iouis *τοῦ ἐπὶ Παλλαδίου* idemque *βουζύγγος* nouum Palladis simulacrum a se comparatum dedicat.

6. Sed his iam ad id tempus deducti sumus, quo Phidias arte et honore summopere floruit; hoc enim rectore et summo moderatore, si Plutarchi locum vrgere licet z), quaecumque Pericles opera publica suscepit, peracta sunt. Verum ab hoc tempore recedendum est ad illud, quo Phidias primum ad artem statuariam exercendam incubuit et omne suum studium in ea collocavit. Magistris tum vsus est, quorum quidem mentionem iniectionem reperimus, duobus, altero *Hippia*, qui praeter vnum locum non memoratur, ita vt ne de nomine quidem viri satis constet a), altero *Agelada*, artifice celeberrimo, cuius ad aetatem constituendam permulta ab antiquis auctoribus allata suppetunt. Nam inter athletarum statuas, quas posuit, habemus Timasitheum Delphum, quem periisse constat Ol. LXVIII. a. 1. b), Cleosthenem Epidamnium, victorem Olympiadis LXVI. c), Anochum Adamatae Tarentinum, stadio et diaulo victorem Olymp. LXV. d). Quo quanquam opus aetate prius nunc non occurrit, tamen artifex, cum a Tarentinis statuam ciuis eorum facere iuberetur, non poterat esse ignobilis. Iamque inter primos Graeciae artifices censebatur, cum vna cum Canacho et Aristocle, statuariis Sicyoniis, quorum

z) Pericl. 13. πάντα δὲ διεῖπε καὶ πάντων ἐπίσκοπος ἦν αὐτῷ Φειδίας καὶ τοὶ μεγάλοι ἀρχιτέκτονες ἐχόντων καὶ τεχνίτας τῶν ἔργων.

a) Nam apud Dionem Chrysost. Or. LV. p. 558. Ἴππιου tantum e coniectura positum est, quae neque e Plinio XXXV, 11, 40, 35., vbi pictor occurrit Hippias, neque e Pausania VI, 13, 3. subsidium accipit, nam qui hic Durim Samium finxisse dicitur, vixit circa Olymp. CVII, 1, Duris enim inter pueros vicit, quo tempore Samii ex insula sua pellebantur. Codd. praebent ἸΠΠΟΥ, ex quo si ΗΠΙΟΥ faciendum proponerem, vereor ne audacior viderer. Certe hoc nomen loco aptissimum esset.

b) Paus. VI, 8, 4.

c) Id. VI, 10, 2.

d) Id. VI, 14, 5. Ageladas fecit etiam Tarentinis donarium de victoria a Mesapiis reportata (Paus. X, 10, 3.).

illum inter bellum Marathonium et Salaminiū maxime floruisse demonstratum est *e*), tres simul Musas poneret Antipatri Sidonii epigrammate celebratas. Sed aliquanto tempore post illas athletarum statuas Messeniis, siue potius Hilotis, quibus Lacedaemoniorum bello eiectis Athenienses Naupactum incolendam dederant, Iouem Ithomatam, deum ipsorum patrium, fecit *f*): quem non ante Olympiadis LXXXI. a. 2. factum esse, ea ipsa quae de eo attuli probant. Idque tempus eo magis conuenit, quo arctior tum coniunctio obtinebat inter Athenarum ciuitatem et Argiuios, quae haud dubito quin causae fuerit, ut ab Argiui potissimum artifice dei sui imaginem fingi voluerint Atheniensium illi clientes. Sed videndum ne rationes nostrae ad chronologiae scopulos allisae iam misere confringantur. Quid enim? cum inter Anochi Tarentini victoriam et Naupactum a Messeniis occupatam anni intercesserint *sexaginta sex*, num tantum temporis Ageladam viguisse et inter artifices floruisse concedemus? At enimvero primum licebit ab altera parte annos nonnullos demere, cum victoriam quodam temporis spatio subsequi potuerit statuae confectio. Neque tamen multum lucramur. Nam cum vltra Olympiadem LXVIII. degredi, tres illae temporum indicationes coniunctae haud patiantur: et sic efficitur, ut octogenarius vel octogenario maior Ageladas in Ioue Ithomata operam posuerit. Id vero ut factum esse concedamus, necessitate quadam cogimur, cum de duobus Ageladis Argiuis, auo fortasse altero, altero nepote, Pausanias certe, auctor in ea re princeps, non cogitauerit. Is haud dubie vnum tantum nouit Ageladam, quem Onatae Aeginetae et Hegiae Atheniensis aequalem dicit *g*), quos artifices circa Olympiadem LXXX. floruisse constat. Neque hanc Ageladae viridem vegetamque senectutem nimis mi-

---

*e*) V. *Kunstblatt* Anni 1821. n. 16.

*f*) Pausan. IV, 33, 2.

*g*) VIII, 42, 4.

reris velim in aeuo macrobiorum inter poetas, philosophos, historicos fecundissimo, in quibus ingenii lumen, sicut et nunc quandoque euenit, vim vitalem hominum saepe auxisse et ultra solitum terminum aluisse videtur.

7. Verum ante tempus Iouis Ithomatae facti Ageladam quosdam annos in Attica vixisse, probabile sit tum inde, quod ex eius disciplina prodiisse scimus Phidiam et Myronem, etiam hunc Atticum ex oppido Eleutherarum, tum ex signo Herculis Sospitatoris, quod artificem illum Argium in pago Melitensi posuisse constat. Atque annos hos proxime insecutos puto foedus ab Atheniensibus et Argiuis Olympiadis LXXIX anno fere 3. ictum, quod, vt mercatores, opifices, artifices hinc inde commearent, efficere consentaneum erat. Nam etiam Argiuorum vrbs, ex quo pagorum circumquaesitorum incolae in eam deducti et ciues facti erant, quam rerum publicarum commutationem circa bellorum Persicorum tempus factam constat *h*), hominum multitudine et publica opulentia artis exercendae largam praebere materiam. Tempori autem, quo Ageladam Athenas deuenisse coniecimus, bene conuenit Phidiae aetas, qui tum quintum fere et vigesimum annum agens, quanquam, vt diximus, potissimum pingendi studiosus, tamen etiam in fingendo Ageladae institutione vti poterat. Neque tamen obsto, si cui Ageladae aduentus Olympiade vna vel duabus posterior statuendus videtur. At hoc praefracte nego, quod scriptorum quorundam non satis firma auctoritate vulgo acceptum est, Herculem illum Melitensem ob pestem, quae primis belli Peloponnesiaci annis Atticam deuastauit, auerruncatam *ἀλεξίκακον* dictum, et tum demum ab Agelada nostro, Phidiae magistro, positum esse *i*). Neque enim

*h*) Doriens. T. I. p. 174 sqq. II. p. 57. 143.

*i*) Hic locum adscribo Scholiorum ad Aristoph. Ran. 504. quo saepius iam respexi. — ἐν Μελίτῃ ἐστὶν ἐπιφανέστατον Ἑρακλέους ἱερὸν ἀλεξίκακου (sic scribendum) — τὸ δὲ τοῦ Ἑρακλέους ἄγαλμα ἔργον

huius hominis senium vlla ratione eo vsque protrahi potest, neque minor quidam cognominis a maiore distingui, cum eundem Ageladam hic Phidiae magistrum appellari appareat, qui a Plinio Myronis et Polycleti, Phidiae aequalium, praeceptor fuisse traditur. Denique facile intelligitur, quid grammaticum de statua illa narrantem in errorem induxerit: coniectura nempe specie admodum probabilis sed re vera leuis, qua, Herculi ἀλεξικάκου cognomen inde a magna illa peste Attica obuennis, feliciter assecutus sibi videbatur: quod tamen multo antiquius esse et Delphis Athenas translatum haud dubito k).

8. Huic cum simillimus et geminus sit error quidam Pausaniae, quippe quem etiam pestis Atticae recordatio genuit male opportuna: non possum quin et huic in transitu mederi coner. Is enim scriptor diligentissimus de Phigaleensi Apollinis templo agens l), quod marmora inde nuper protracta illustrius fecerunt, quaerit vnde deo cognomen additum sit ἐπικουρίω, eamque quaestionem soluit coniectando, id nomen meruisse deum lue quadam propulsata, quam iam non dubitat eandem fuisse atque famosissimam illam belli Peloponnesiaci. Cui sententiae adminiculum petit inde, quod templum Phigaleense constet ab eodem architecto exstructum esse, qui Hecatompodon haud multo tempore ante bellum Peloponnesiacum struxerit, ab Ictino. Sed haec ipsa Pausanias tela nobis in sese

---

Ἐλάδου τοῦ Ἀργείου τοῦ διδασκάλου Φειβίου. ἡ δὲ ἴδρυσις ἐγένετο κατὰ τὸν μέγαν λοιμὸν ἔθεν καὶ ἐπαύσατο ἡ νόσος πολλῶν ἀνθρώπων ἀπολλυμένων. Ἄγελάδου iam plures correxerunt (V. Meurs. Piraeo 4. et de populis Atticae Μελητη), neque dubium, recte eos fecisse, quanquam Suidas iam Γελάδης legerat, et, ne apud Jo. Tzetzen Chiliad. VII. hist. 154. v. 930. et VIII. h. 192. v. 325. eadem referentem corrigas, versus prohibet. Tales errores Tzetzae non eximendos, recte statuit Theoph. Kiefsling ad locum alterum.

k) Cf. de Doriens. I. p. 455.

l) VIII, 41, 5.

offert. Quum enim tum Arcades omnes in foedere Peloponnesiorum essent *m*), cuius nomine Lacedaemonii Atheniensibus bellum indixerant, atque his ipsis, quibus pestilentia obtinebat, annis in Attica deuastanda partes non infimas agerent: quis credet vel Athenienses permisisse vt ipsorum artifices operam suam hostibus venderent, vel Arcades vt illi tuto per fines suos commearent *n*). Nam cum ex iure gentium apud Graecos qui in terra hostili deprehendebantur in seruitutem redigi solerent *o*), artifices honorifica quadam exceptione gauisos esse nihil est cur statuamus. Verum et alterum argumentum adest, cui cedent fortasse quibus illud infirmius videatur. Vt enim Thucydides haud ambigue affirmat *p*), pestis Attica in Peloponnesum vim fere nullam exercuit, atque per se improbable, morbum nauibus propagatum et locis hominum exundante multitudine refertis grassantem inuasisse interiorem Arcadiam montibus caeloque salubrem. Iam nemo puto vetabit *q*), quominus templum Phigaleense ante Peloponnesiacum

---

*m*) Thucyd. II, 9.

*n*) Thucyd. I, 146. II, 1. accurate indicat, quo tempore omnis ἀκη-  
ρυκτος ἐπιμιξία inter Athenienses et Peloponnesios sublata sit.

*o*) Disertius de ea re agere poterat Wachsmuth: Ius gentium apud Graecos p. 85., et aget fortasse in docta, quam edere coepit, Ἀρχαιολογία Ἑλληνική.

*p*) II, 54.

*q*) Ne meritissimus quidem Pausaniae editor atque defensor, qui sententiam meam ex Ephemeridibus Gottingensibus non plenam cognouerit. Certe Pausanias et Thucydides conciliari non possunt, nam pestis, quae, vt sacra noua instituerent et aedem magnificam exstruerent, Phigaleenses mouerit, dici non potest ἐς Πελοπόννησον οὐκ ἐσελθεῖν ὁ τι ἄξιον καὶ εἰπεῖν. Vtri vero maior fides erit, historico de suo tempore narranti an Pausaniae ratiocinationi? In locis II, 32, 5. et X, 11, 4. incertos tantum vulgi rumores agnosco. Ceterum nunc video, etiam Stackelbergio, operis magnifici de Phigalea auctori, de Pausania narratione nullum dubium subortum esse.



bellum, quo tempore commercium artificum Peloponnesiorum et Atticorum adhuc florebat, factum statuamus. Sed redeo in viam propositam. Id nobis partim demonstrasse partim probabili coniectura assecuti esse videmur, *Ageladam floruisse inde ab Olympiade LXXIII usque ad LXXXII, et cum post Olympiadem LXXVI in Attica degeret, Phidiam adolescentem in arte sua instituisse r)*. Qua ex institutione quid profecerit Phidias: hic ubi de externa vitae eius conditione agitur, nondum poterit declarari. Sed cum quae de ea conditione atque fortuna Phidiae afferuntur, omnia fere coniuncta sint cum operibus, quae fecit: de his principe loco agamus necesse est, verum ita ut ea tantum commemoremus, quae ad illam cognoscendam faciant s).

---

r) At aliter in ea quaestione versatus est vir subtilis doctrinae et elegantissimi iudicii, *Fridericus Thiersch* de Epochis artis II, not. p. 46. Is enim distinguit Ageladam, qui Anochum et Cleosthenem, ab alio, qui Iouem Ithomatam fecerit, eodem et Herculis Melitensis auctore. Atque illum Argium, sed hunc statuit Sicyonium, quia Amasaeus Pausaniae interpretes V, 24, 1. Ascarum Thebani magistrum, cuius nomen in Graecis codicibus hucusque collatis deest et patria tantum indicatur Sicyon, Ageladam dicit. Sed haec, ut libere dicam quod sentio, a viro ingenioso artificiose magis conglutinata quam e veterum scriptorum auctoritate deducta videntur, et nihil iis inest, quod interiore quadam congruentia veri documentum addat. Ascarum Pausanias certe bellis Persicis vetustiorum putabat, ut e loco laud. apparet: qui igitur magistrum habere poterat artificem, qui sub belli Peloponnesiaci initium vixisse putatur? Ceteris autem omnibus locis vnus tantum idemque agnoscitur Ageladas Argivus, etiam ab iis, qui Herculis Melitensis mentionem fecere. Ex quo signo ad pestem Atticam male relato nescio an etiam fluxerit error Plinii Ageladam epochae Olympiadis LXXXVII assignantis.

s) Omnium catalogum fecit Hadr. Iunius. Omisit tamen locum maxime memorabilem Tzetzae Chil. VIII, 192. v. 331., qui praeter Iouem Olympium et Minervas, aeream atque eburneam, Phidiae opera recenset *Iunonem* aliunde ignotam et *τὸν ἀνδράλιον Ἀπολλινεμ*, quem

9. Nullius inter deos Graecanicos plura Phidias signa fecit, quam *Minervae*, patriae atque dilectae deae. Nobis quidem in-

eundem fuisse putare possis atque Parnopium Pausaniae I, 24, 8. (de Patarensi enim qui loquitur, Clemens Alex. Protr. 14, 3., idem dubitat, Bryaxidisne potius fuerit), denique *Herculem* Augeae stabula egerentem (quod est inter anaglypha supra forea in antico templi Olympici, Pausan. V, 10, 2. sed Tzetzes de statua loqui videtur). Apollinis *caput* Tzetzae temporibus in palatio, alia opera in hippodromo et foro Constantinopoleos supererant. Cf. Heyne de priscae artis operibus Constantinopoli exstantibus, Comment. Soc. Gotting. XI. p. 11. Caput illud a cetero corpore separatum arbitratur, quum Constantinus hoc, suo ipsius capite addito, Constantinopoli in columna prophytica poneret. V. Cedren. p. 322. Nam de eodem Apollinis signo, cuius Tzetzes mentionem facit, sermonem esse, inde apparet, quod et hic ἀνθηλιος (i. e. sub diuo orientem versus positus, v. Aeschyli Agam. 527. cum Scholiis, et Eurip. Ion. 1567) dicitur. Cf. Heyne de serioris artis operibus sub imp. Const. I. I. p. 44 sq. Ceterum Heynius iure dubitat, Phidiaene reuera fuerit hoc signum, quum nominis claritas, vt eo abuterentur homines posterioris aevi, efficeret. Neque secus statuendum videtur de titulo statuae Castoris celeberrimae in Monte Caballino: PHIDIAE OPUS. Cui esse qui et nunc, post opera vere Phidiaca in Europam delata, fidem habeant, mirari non desino. Mihi contigit, vt colossi illius imaginem opera Westmacotti aere fusam et ante Wellingtonis aedes positam quotidie videre et cum signis Elginianis comparare possem, vnde, diuersissimum illi et hisce inesse artis χαρακτῆρα, firma mihi persuasio orta est. Castoris, vt de solo spectatus apparet, statura erecta atque gracilis et ad Lysippeas rationes facta est; Phidiaca signa canonis Polycletei exempla afferunt. In hisce etiam minima quaeque ad naturae veritatem exacta sunt, in illo minora omnia omissa sunt et valet aliquid longinqui visus excusatio. Denique recte Quatremère-de-Quincy, Lettres à Canova p. 113., in colosso montis Caballini disciplinam agnouit longo vsu constitutam, cuius ad regulam et normam musculi neruique adumbrabantur; quum statuae Hecatompedi vivam atque calidam adhuc

notuere Palladia Phidiae manu facta octo vel nouem, quorum tria vel quatuor in arce Athenarum dedicata erant, signum dico eburneum in Parthenone et colossus aeneum Ἀθηναῖς τῆς Προμάχου sub dio positum eamque quae Lemnia dicebatur et hanc ex aere factam *ι*), quibus fortasse addi potest ea statua, quam Plinius Cliduchon appellat *ι*); cetera Plinii et Pausaniae temporibus exstant in arce Eleorum, Plataeis in templo Minervae Areae, in aede deae ad Pellenen, denique Romae ad aedem Fortunae huiusce diei, quod signum, item ex aere factum, eo loco Paullus Aemilius posuerat *α*), nescio ex quo Graeciae fano abductum. Inter haec quum signum Pellenense, auro et ebore compositum, Atticis et Plataeensi prius factum referat Pausanias *γ*), id certe omnium, quorum de aetate aliquid memoriae proditum est, antiquissimum habendum. Et valde antiquum habeamus necesse est, si, quae de signo Plataeensi et colosso aeneo referuntur *ε*), facta ea esse de praeda Marathonia, cum plerisque ita intelligamus, vt proximis post eam pugnam annis facta ea et posita esse statuamus *α*). Vnde  
apud

---

demonstrent naturae imitationem. Quae scripseram antequam Wagneri et Thierschii argumenta cognoui, quibus plane assentior. De Phidiae statu in foro Pacis cf. Procop. bello Gothico IV, 21.

*ι*) Plinii N. H. XXXIV, 8, 19, 1.

*α*) Ibid. cf. Heyne de auctor. formarum in Commentat. Societ. Gotting. VIII, p. XXVIII. Petersen Programmatae Hauniae 1824. edito.

*α*) Plin. XXXIV, 8, 19. Hoc enim signum a ceteris omnibus distinguendum videtur.

*γ*) VII, 27, 1.

*ε*) Paus. I, 28, 2. IX, 4, 1.

*α*) Ita iam inter antiquos Scholiastes Demosthenis in Androtonem p. 597. ed. Reiske, qui Προμάχου statuam post proelium Marathonium ante Salaminium erectam putat. Cf. Scholium in Aristidem ap. Creuzer. Meletem. I. p. 24., nunc a Frommelio editum p. 104., ubi aerea illa statua μετὰ τὰ Περσικὰ, sed a Praxitele (mirus error) facta dicitur.

apud plerosque opinionem obtinere video, Phidiam iam circa Olymp. LXXV. egregiis operibus clarum nomen meruisse *b*), quo tempore ex nostra computatione, cui argumenta infra nos substructuros spondimus, octo annorum puer erat. Haec igitur nostra computatio ne praemature obitu pereat, iam hic quae obloqui videntur remouenda sunt. Neque arduum hoc coeptum. Nam, ut mea fert opinio, etiamsi signa ea ex praeda illa facta essent, tamen de aetate eorum non multum constaret *c*). Sed velim obserues, totum illud de praeda Marathonia decimisque inde electis caput mera fraude et mendaciunculis compositum esse. Quot enim et quanta opera Athenienses de pugna illa vouisse et dedicasse se praedicabant. Praeter colosseum illud signum, de quo modo diximus, ingens numerus statuarum visebatur Delphis, Minerva, Apollo, Miltiades et heroes tribuum eponymi alique Atticorum fabulis celebrati, quae omnia Phidiae opera et donaria de proelio Marathonio dicebantur *d*). Ibidem epistylia templi Apollinis aureis scutis exornata erant, quae de eadem victoria Athenienses dedicasse fama ferebat *e*), decimam nimirum praedae valde amplae atque magnificae. Quid quod Delphis thesaurus Atheniensium exstabat, quem ex eadem praeda extruxisse tradebantur *f*). Athenis au-

*b*) Etiam apud recentissimos scriptores, Quatremère-de-Quincy Jupiter Olymp. p. 220. 252. Thiersch de Epoch. II. p. 43. H. Meyer Artis histor. I. p. 60. cf. Schorn de artif. Graecorum studiis p. 221.

*c*) Iam antiqui scriptores in eum errorem procliuiores sunt, quo rerum gestarum monumenta cum rebus gestis nullo intervallo coniunguntur. Ita Aeschines in Ctesiph. p. 80. (cf. Nepos Milt. 6.) Miltiadem viuentem in Poecile porticum pictum putat, et, cum ipse flagitaret, ut nomen sibi adscriberetur, repulsam tulisse.\* Quod aperte falsum.

*d*) Pausan. X, 10, 1. vbi τῶν ἐπωνύμων excidit.

*e*) Id. X, 19, 3.

*f*) Id. X, 11, 4.

tem templum Eucleae donarium de proelio Marathonio fuisse dicitur, quod ubi Pausanias narrat, ipse multitudinem horum donariorum admirari videtur *g*). Quid autem, si Atheniensibus omnino praeda ex hoc proelio nulla fere contigit, cum Persae ne castra quidem in campo Marathonio posuissent, et in fugam versi statim in naues se coniecissent et septem earum tantum amissis a littore soluissent. Herodotus certe, scriptor accuratissimus, de praeda Atheniensium ne verbum quidem addit. Quodsi praedam nacti essent, Athenienses, tum publice pauperes et bellis vexati, certe in usum rei militaris et naualis eam conuertere debebant. Sed fac, ut et hoc concesserim, magnas opes tum et partas et sepositas esse: num et hoc fingere licebit, eas, cum Athenae a Xerxe et Mardonio vastarentur, in naues delatas ibi in summa temporum angustia intactas mansisse? Nam id quidem certissimum, ante Athenas restitutas statuam illam neque fusam neque positam esse, nisi quis forte tantum et tam conspicuum opus ex ignibus Persarum, qui minora omnia opera vel deleuerant vel fuscauerant et corruperant *h*), incolume euasisse credit. Igitur quae de signis hisce referuntur, inter documenta vanitatis Atheniensium, si verbo uti licet, habenda sunt, quos constat eo maxime tempore, quo ceteros Graecos sibi infensos infestosque habebant, victoriam celebrare maluisse ab ipsis fere solis partam, quam honori eorum consulere, quorum auxilio bello insequente vicerant, vel quorum opibus nunc magnifica illa condebant monumenta *i*).

10. Neque tamen fama de signis illis, quam hucusque examinamus, sibi semper constabat. Plataeensem certe Palladis Areae aedem cum signo, quod ligneum erat inauratumque et capite pe-

*g*) Id. I, 14, 4.

*h*) V. Herod. V, 77. Paus. I, 27, 7.

*i*) Quaedam acute ad rem nostram obseruat Henr. Meyer *Art. Graec. hist. T. II. p. 51.*, sed ipse iis parum firmiter innititur.

dibusque marmoreis, atque cum picturis, quas Onatas Aegineta et Polygnotus Thasius fecerant, Plutarchus auctor est *k*), factam esse e parte eius praedae, quae post *Plataeensem* pugnam Plataeensis obuenisset, et octoginta talentorum fuisse traditur. Quod ut verum sit, et verum esse credo, tamen, sicut iam significavi, nihil cogit, ut signum deae ante Olympiadem LXXX. positum statuamus: quum potissimum in oppido operarum multitudine non abundante quinque Olympiades in aede exstruenda facile absumi potuissent. — Eum vero deae colossus, qui ex arce Athenarum in terram et mare longe prospectabat *l*), Demosthenes dicit *m*), e pecunia positum esse, quam Graeci Atheniensibus belli aduersus barbaros egregie gesti praemium siue ἀριστεῖον concesserint. Sed etiam hoc oratorio magis modo, quam pro veritate, dictum est. Ἀριστεῖα enim Atheniensibus in eo bello de nulla pugna obueniant nisi de Mycalensi, fortasse etiam de proeliis Cimoniis; cui autem obuenere, laudem tantum non pecuniam attulere. Sed facile intelligitur, oratorem verbo magnifico tum praedam proeliorum tum sociorum stipendium vel tributa significare *n*). Igitur etiam hinc

*k*) Aristid. 20.

*l*) Inter Propylaea et Hecatompedon eum positum fuisse, numus quidam notissimus demonstrat; sed illis propiorem fuisse existimo, cum statim post eum Pausanias I, 28, 2. ἄρμα χαλκοῦν ἀπὸ Βοιωτῶν δεκάτην καὶ Χαλκιδέων memoret, quod ex Herodoto V, 77. scimus introenti per Propylaea ad laeuam fuisse.

*m*) De falsa leg. p. 428.

*n*) Sic Demosthenes adv. Timocr. p. 741., quae Thucydides σὺλα Μηδικὰ dicit, ciuitatis ἀριστεῖα ἀπὸ τῶν βαρβάρων appellat. Cf. ad locum Boeckh Corp. Inscr. p. 191. Huc denique etiam pertinere videtur locus. Schol. in Aristid. p. 103. Frommel de Palladiis: λέγοι δ' αὖν καὶ περὶ ἄλλων πολλῶν Παλλαδίων, τοῦ τε καταλυόμενου τῶν αὐτοχθόνων, καὶ τῶν περὶ αὐτεφύρων καλουμένων, ὡς Φερειδῆος καὶ Ἀντίοχος Ἰστοροῦσι, καὶ τῶν κατενηνεγμένων ἐν τῇ τῶν Γιγάντων μάχῃ. Cf. Creuzer. Symb. II. p. 693. Scripserim: τοῦ τε καθύρου-

aetas horum signorum (de Plataeensi loquor et colosso aereo) certa ratione non potest constitui, atque his collatis nihil effecimus, nisi ut vacillare omnia, quae his fundamentis ab aliis superstructa sunt, intelligamus. Mihi quidem colossea illa statua iam ob eam causam inter nouissima Phidiae opera habenda videtur, quod eam imperfectam reliquit. Nam signa anaglypha in scuto exstantia Mys caelator demum ad lineas Parrhasii, qui Socrati aequalis erat, facta addidit o).

11. Contra quando *Minervam in Hecatompedo* posuerit Phidias, satis certis testimoniis constat. Philochorus enim, Atthidos scriptor, qui de ea re publica monumenta consulere poterat, nobis auctor est p), Theodoro archonte, i. e. Olymp. LXXXV. a. 3., post Hecatompedon aedem perfectam deae signum aureum et eburneum, quod Pericle locatore (ἐπιστάτη) Phidias (ἐργολάβος) faciendum conduxerat, erectum et dedicatum esse. Idque sine vlla dubitatione in magnis Panathenaeis, primo anni Attici mense, factum esse affirmo; quae solennia, tertio cuiusvis Olympiadis anno redeuntia, illustriore caeremonia non poterant celebrari. Quid quod magnus ille Archaeologiae Atticae instaurator, Boeckhius, ab his solennibus pentaeteridas Panathenaeicas numerare nos docuit, quibus quaestores Minervae donariorum in templo asseruatorum recensum instituebant et rationes reddebant q). Neque discrepat ab hoc calculo Eusebius chronographus, qui consentiente Latino Hieronymi, Arabicoque qui nuper editus est, textu r) eiusdem Olym-

---

μένου ὑπὸ τῶν ἀντροχθόνων (sicut sunt qui narrent) καὶ περὶ τῶν ἀπὸ τῶν (quae voces per notas scriptae erant ἀπτ) λαφύρων κληομένων.

o) Pausan. I, 28, 2.

p) Apud Schol. in Aristoph. Pacem 604. *Fragm. ed. Lenz et Sieb. p. 54.*  
Locus infra n. t. §. 17. tractatur.

q) Corp. Inscr. p. 182.

r) p. 213. ed. Aucher. p. 340. ed. Mai et Zohrab.. Cf. Syncell. p. 198. A.

piadis anno alteri (1577. a post Abrah.) adscriptis: *Phidias Minervae signum eburneum fecit*. Hoc enim anno maxime in eo opere occupatus fuisse credendus est. Quanquam etiam hic annus non sufficit ad tantum opus inchoandum et absoluendum, in cuius parergis, vt in crepidine statuae, ipse summus artifex multum operae consumsisse dicitur s). Et quanquam scimus, maximo tum artificum feruore intentisque omnium studiis singulos annos plura et maiora opera protulisse quam totis decenniis perfici posse putaueris t), tamen vt Hecatompedes aedes, materia atque opere tam magnifica, absolueretur, Callicrati et Ictino architectis duae fere, vt puto, Pentaeterides concedendae erant, ita vt Olympiade fere LXXXIII media vel exeunte eam inchoatam esse, probabile fiat u).

12. Iam signi huius Minervae confectionem ex mea sententia statim subsecuta est opera in *Ioue Olympio* posita. Auctore enim Pausania x) tenemus, in Iouis sòlio inter alia sigilla ad rem gymnasticam pertinentia collocatam fuisse etiam figuram adolescentis caput sibi taenia redimientis, eamque habitam fuisse imaginem Pantarcis pueri Elei y) a Phidia dilecti. Quem cum Phidias eo habitu fingeret, quo *ἀναδούμενον* Graeci dicunt, sine dubio celebrare voluit palmam, quam is inter pueros luctatores Olympiade LXXXVI retulit z). Hac igitur Olympiade necesse est Phidias Olympiae

s) Themistius Or. 8. in. p. 187. ed. Petav. *In ea basi, Plinio teste, quod caelatum est Pandoras Genesin appellauit* (ipse Phidias, an fortasse in rationibus), *ibi dii sunt viginti numero NASCENTES. Num nemo coniecit, quod Plinium scripsisse mihi persuasum habeo, DONAFERENTES. Cum excidissent litterae DO, cetera corruptio in procliui erat.*

t) cf. Plutarch. Pericle 13.

u) cf. Quatremère-de-Quincy l. l. p. 222.

x) V, 11, 2.

y) Ita Pausanias l. l. Argium dicit Photius Lexico p. 482, 20.

z) Pausan. l. l. cf. VI, 10, 2.



versatus sit et in Ioue fingendo operam collocauerit. Quod vt fundamento ponere liceat, vnde firmiter ad cetera progredi possimus, stabiliamus necesse est aduersus ea, quae docti quidam viri obiecerunt, inprimis Heynius, vir de crisi historiae artium meritis-  
simus *a*). Is enim argumentum e sigillo illo sumptum infirmius esse contendit, propterea quod id et postea addi potuerit. Ego vt concesserim, quoniam post Phidiam in signo Iouis Olympii elaborasse, quod tamen ne concedam, vetat illud ἐποίησεν, de quo postea dicam: quem putabimus delicias Phidiae immortalitati tradere voluisse nisi Phidiam ipsum? Alii *b*) obiecerunt: vagam tantum et incertam famam fuisse, qua iuuenis ille ἀναδούμενος Pantarci similis eiusque imago ferretur *c*). At fama ea nullos habere poterat auctores nisi aedituos vel exegetas templi: qui, quando Phidias Iouem fecerit, et quando Pantarces vicerit, cum de hac re catalogi Olympionicarum consuli possent, non poterant nescire, ita vt, si hoc et illud simul factum esse non constitisset, vtrumque vix potuissent coniungere. Quibus addas haec. Phidiam Iouis Olympii digito amoris insania inscripsisse nomen Pantarcis, multorum in antiquitate consensu docemur *d*). Atqui Pantarces, cum inter pueros vinceret, quod Olymp. LXXXVI. factum esse constat, quintum decimum circiter annum egisse putandus est. Iam ex Heynii sententia Phidias Iouem fecit, antequam opera Periclea Athenis condi coepta sunt, id est ante Olympiadem LXXXIII: eo tempore, quo Pantarces adhuc in cunis vagiisse apparet. Sed eam de tem-

---

*a*) Antiquar. Abhandl. I. p. 201. qui ambigit cum Corsino, qui F. A. P. II. T. I, p. 219 sqq. eodem argumento vsus est. Heynium in plerisque secutus est vir de hoc archaeologiae capite bene meritus Völkel de templo et statua Iouis Olympii p. 106 sqq.

*b*) Editores Winckelmanni T. VI, 2. p. 66.

*c*) Ἐοικέναι τὸ εἶδος λέγουσι, dicit Pausan. V, 11, 2.

*d*) V. infra N. x. §. 18.

pore Iouis Olympii positi sententiam, licet a plerisque receptam e), ex loco quodam Pausaniae ambiguo sed aliter explicando solum subsidium petere, alibi iam monui f), et mihi quidem de tempore statuæ Olympiacæ nullum dubium relictum videtur.

13. Multum autem ad nostram quaestionem referre videtur, vt, qua tum conditione vixerit Phidias apud Eleos, cognoscamus, ne decipiamur fabulis de ea re relatis g). Atque plura sunt, quæ probent, eam conditionem fuisse honestam, imo splendidam et publica auctoritate constitutam. Primum quod cum plerisque disci-

e) V. Völkel l. I. p. 14. Editores Winckelmann, l. I. alios.

f) De Doriensibus T. II. p. 507. Repetam, quæ potissimum huc pertinent. Pausanias, VI, 22, 2. de bello inter Eleos et Pisaeos circa Olymp. L gesto disserens dicit: Πισαίους μὲν δὴ καὶ ὅσοι τοῦ πολέμου Πισαίοις μετέσχον ἐπέλαβεν ἀνυστάτους ὑπὸ Ἑλλείων γενέσθαι. Eandem rem tangit V, 6, 3. ἐπὶ δὲ τοῦ πολέμου τοῦ Πισαίων πρὸς Ἑλλείους ἐπικούροι τε Πισαίων οἱ Σκιλλούντιοι καὶ διάφοροι τοῖς Ἑλλείοις ἦσαν ἐκ τοῦ Φανεροῦ, καὶ σφῆς οἱ Ἑλλεῖοι τούτων εἰνεκ ἐποίησαν ἀνυστάτους. Iam compara locum V, 10, 2. Ἐποίηθη δὲ ὁ ναὸς καὶ τὸ ἄγαλμα τῷ Διὶ ἀπὸ λαφύρων, ἧνίκα Πίσαν οἱ Ἑλλεῖοι καὶ ὅσον τῶν περιόικων ἄλλο συναπέστη Πισαίοις πολέμῳ καθεῖλον. Nihil magis apertum, quam scriptorem de eodem bello intelligendum esse, de qua re mecum etiam consentit V. Cl. Siebelis ad VI, 22, 2. Igitur Pausanias hoc significare voluit: templum et signum Iouis factum esse e praeda *tum parta*, cum Elei Pisam deustarent. Sed e tempore praedae partae tempus templi et signi conditi nondum potest constitui, quum potissimum Eleos illam pecuniam quodammodo sacram habuisse et ad sacros vsus deposuisse credibile sit. Potest tamen etiam aedes iam post Olymp. L strui coepta, et Phidiae demum tempore absoluta esse, sicut delubro Delpico, Olymp. LVIII exstructo, artifices aevi Periclei signa in fastigiis aliaque addidere.

g) Merum figmentum est argumentum controuersiae apud Senecam Rhet. II, 8.: *Elei ab Atheniensibus Phidiam acceperunt, vt is Iouem Olympium faceret, pacto interposito, vt aut Phidiam aut centum talenta redderent etc.*

pulorum in Elidem venit, ostendit fuisse vocatum et ad opera magna et magnifica perficienda conductum *h*). Horum erat *Colotes*, *Phidiae* in faciendo Ioue adiutor *i*), sicut et in *Pallade Attica*, cuius aegidem caelauerat *k*), sed etiam aliorum operum ipse inuentor et auctor. *Minervam* quidem auream et *eburneam* in arce *Elidos*, quam *Plinius* *l*) huic tribuit, *Pausanias* *m*) a magistro factam refert, ita vt hunc operae praefuisse, cuius ille partem quandam in se sumsit, crediderim. Sed soli *Colotae Aesculapium* et hunc *eburneum*, quo *Cyllene*, *Eleorum nauale*, gloriabatur, tribuit eumque miris laudibus effert *Strabo* *n*). *Aderat Phidiae etiam Panaenus*, quippe qui *Iouis pallium floribus encaustice pictis* distinxit *o*), et *sepimenta solium cingentia aliaque multa circa templum pinxit* *p*), eundemque *Minervae in aede de qua modo diximus, clypeum ex*  
interiore

*h*) *Phidias ipse praeter Iouem Eleis fecit Venerem Uraniam*, Paus. VI, 25, 2. *Plutarch. de Iside* 76. p. 206. *H. Coniug. Praec.* p. 421.

*i*) *Plin. N. H.* XXXV, 8, 34. cf. XXXIV, 19, 27.

*k*) *Id.* XXXV, 8, 34.

*l*) *l. l.*

*m*) *VI*, 26, 1.

*n*) *VIII*, 337 d. *Eustath. ad Il. B.* 603. p. 300. *Rom. Coioten, artificem mensae*, in qua *athletis Olympiae commissis coronae proponerentur*, cum et haec auro et ebore confecta, et haec *Olympiae dedicata fuerit*, ego libenter eundem crediderim, de quo loco superiore loquor. Simul tamen credendum τοῖς πολυπραγμονήσασι σπουδῆ τὰ ἐς τοὺς πλάστας apud *Pausan.* V, 20, 1.: *Parium hunc fuisse et Pasitelis* (non *Phidiae tantum*) *discipulum*. Igitur non duo *Colotae*, sed duo *Pasiteles* distinguendi sunt, sicut fecit *Boekhius, Corp. Inscr. Graec.* p. 40., cuius rationibus accedo, discedens a *Thierschio de epoch. artis III. Annot.* p. 79.

*o*) *Strab. VIII*, 354. *Pausan.* V, 11, 1. cf. *Völckel l. l.* p. 158.

*p*) *Paus.* V, 11, 2. *Str. l. l.*

interiore parte *g*), tectoriumque eius templi lacte et croco ante subactum pinxisse constat *r*): ita vt hoc delubrum Phidiae discipulorum operibus eximie nobilitatum esse appareat. Tertius cum Phidia venerat *Alcamenes*, qui signa in fastigio postico templi Olympici, quibus Lapitharum cum Centauris proelium exhibebatur *s*), vix alio quoquam tempore fecisse putandus est, quam quo ipsius magister eidem aedi operam suam tribuit. Anterius fastigium eadem ratione exornauerat *Paeonius Mendaeus*, quem cum secta Phidiae coniunctum fuisse, coniectura quidem est sed argumentis non destituta. Oriundus erat ex oppido, Atheniensibus vsque ad nonum belli Peloponnesiaci annum subdito; vixit ante huius belli initium *t*); et quod maximi momenti esse videtur, si signa illa in fastigio collocata, quae Pelopem et Oenomaum ad certamen curule se praeparantes ostendebant, e descriptione Pausaniae animo repraesentare studeas, multa in iis gemina deprehendes statuarum et anaglyphorum in Parthenone olim exstantium *u*). Denique etiam *Cleoetam*, Aristoclis filium, Atheniensem, tum cum Phidia ad-Eleos venisse, coniectura est inde hausta, quod is artifex statuam egregii operis in arce Athenarum dedicatam fecit, idemque carceres Olympiae curules ad rationem sollerter excogi-

*g*) Plin. N. H. XXXV, 8, 34. Cf. Heyne l. l. 1. p. 217. qui, an Plinius Graecum ἔγγραψε recte intellexerit, dubitat.

*r*) Plin. XXXVI, 23, 56. Cf. Böttiger Archaeol. Picturae p. 243.

*s*) Pausan. V, 10, 2.

*t*) Nam statuas fecit ex praeda, quam Messenii Naupactii ab Oeniadis captis retulerunt, Pausan. V, 26, 1., quod factum est inter Olymp. LXXXI et initium belli Peloponnesiaci, Paus. IV, 25. Nam quae ibi Messenii de Sphacteria narrant, vana est gloriatio. Quod Henr. Meyer. Artis hist. T. II. p. 82. putat, in nomine Paeonii Mendaei variare Pausaniam, in eo falsus est vir elegantissimus.

*u*) Quod demonstrandum ampliore tractatione eget quam hic locus patitur.

tatam construxit, qui postea a discipulo Polycleti Aristide quodammodo emendabantur. Hinc enim apparet, eum neque autē, neque post Phidiae et Polycleti tempora vixisse x).

14. Iam haec artificum extraneorum celebritas, quā Elis tum gaudia est, satis aperte ostendit, civitatem eam, tum longa pace et agrorum ubertate ditatam, publica invitatione a statuario iam inter Graecos nobilissimo petisse, ut cum discipulis totoque ἔργα-στῆσι ad se concederet atque etiam suis templis artis ipsius decus et honorem imperiret y). Exulem autem et extorrem, qua

- x) V. Pausan. I, 24, 3. VI, 20, 7. Boeckh Corpore Inscript. Graec. p. 39. cf. p. 237. Scio quidem, Thierchium nuperrime (de Epochis III. Annot. p. 82.) hunc Cleoctam Aristoclis et filium et patrem (Paus. V, 24.) cum Aristocle Sicyonio vetusto ita coniunxisse, ut Cleoctas hunc genuisse dicatur, sed genealogiae ab ipso constitutae plura habeo quae opponam. Aristoclem Cleoctae filium haud dubie eundem dico, qui Olymp. XCV. 3. basin Minervae in Parthenone refecit, ut marmor Atticum apud Boeckh. p. 23. docet, qui probabiliter coniicit, Cleoctae posteris in hac aede munus Phaedryntarum fuisse.
- y) Eodem fere tempore alii artifices Attici eodem consilio Delphos missi sunt, quo Phidias cum secta sua Olympiam: ex quo, quantum breui creuerit disciplinae Atticae gloria, haud ambigue colligitur. Nam aedes Delphica, Alcmaeonidis curantibus a Spintharo Crotoniata Olymp. LVIII exstructa, opere sculpto in fastigiis ornata est a Praxia Atheniensi, Calamidos discipulo, et post huius obitum ab Androsthene, Eucadmi discipulo, et hoc Atheniensi. Paus. X, 19, 3. Atqui Calamis, qui, nisi Atheniensis erat, certe ibi plurimum temporis degebat (Paus. V, 26, 5.), Hegiae aequalis erat; hinc eius discipulum circa Olymp. LXXXIII, quo tempore Athenienses Delphorum rempublicam constituiebant, ibi artem factitasse credibile. Eupripides Ione, quam fabulam circa Olymp. LXXXVIII fecisse videtur (v. Boeckh trag. Gr. princ. p. 193.), metopas aliquas aedis, de qua dicimus, describens (metopas ibi describi certum puto) et has a sculptoribus Atticis factas esse mihi persuadet. Pallas enim in En-

conditione alii eum ad Eleos venisse fingunt, neque facile discipuli secuti essent, quos certa tantum lucri et honoris spes Athenis dimovere poterat, neque Elei tam laute excepissent, ut ipsi Olympiae in vicinia sacri luci officinam struerent *z*), quae ad Pausaniae usque aetatem, si scriptori credis, perduravit. Sed tanto et honore Phidias apud Eleos, ut concederetur ipsi, quod civi civis in Minerva severe denegauerant *a*), ut suo nomine inscriberet statuam ab vniuersa Graecia sanctissime habitam. Itaque inscriptum legebatur in scamillo sub pedibus dei:

Φειδίας Χαρμίδου υἱὸς Ἀθηναῖος μ' ἐποίησεν *b*)

in quo versa etiam ἐποίησεν illud observandum est, quod Plinio auctore opus absolutum et perfectum et artificem sibi satis fecisse indicat. Denique et artificem et Eleos, cum Iupiter conderetur, amico fuisse et beneuolo in Athenienses animo, probat etiam singulare studium, quo Theseus, heros Athenarum patrius et omnium δημοτικώτατος, a Phidia inter sigilla solii his, et semel a Panaeno in sepimentis circumquaque structis, ab illo sculptura, ab hoc pictura expressus est. Neque huic Salaminem cum aplustri *z* c Graeciam, ut videtur, ei coronam offerentem pingere licuisset *c*),

---

celadum aegida vibrans et Iupiter alium Gigantem fulmine iacto proficiens eodem modo describuntur, quo in peplo Panathenaeo exhibitos fuisse statua Dresdensis et veterum scriptorum loca demonstrant. Etiam Herculem et Iolaum cum hydra pugnantes conferas cum metopa Thesēi apud Stuart. Antiquities of Athens T. III. cap. I. pl. 11. fig. 2.

*z*) Paus. V, 15, 1.

*a*) Cicero Tuscul. Quaest. I, 15. in quo loco nihil corrigendum. Plutarchus quidem, Pericl. 13., artificis nomen ἐν τῇ στήλῃ scriptum dicit, sed haec στήλη rationes curatorum operis, in quibus etiam ἐργολάβου mentio fieri debebat, continuisse videtur, et a basi statuæ diuersissima est.

*b*) Paus. V, 10, 2.

*c*) Paus. V, 11, 2.

si invidia Atheniensium apud Peloponnesios iam tum in bellum prorupisset. Itaque concedes, Phidiam inter Eleos artem factitasse ea tempestate, qua pax et concordia inter urbem, cuius ciuis, eamque, cuius hospes erat, nondum turbata esset, et cum Athenas reversum esse, antequam bellum Peloponnesiacum glisceret, in quo Elei inde ab initio partes Lacedaemoniorum strenue sequebantur *d*). Sed eius reditum belli initium annis quibusdam praecessisse, probant, quae de lite in Phidiam mota eiusque exitu referuntur. In quibus enarrandis cum magnopere discrepent et veteres auctores et scriptores recentiores: quae ratio potissimum sequenda sit, magis ex rerum ipsarum nexu quam ex auctoritate scriptorum euincemus.

15. Iam communis omnium, qui de ea re loquuntur, consensus dubitare nos non sinit, quin litis eius causa sita fuerit in consilio factionis Pericli in republica gubernanda aduersantis. Ea ut viri magnifici animum frangeret et contunderet atque a rebus gerendis auerteret et absterreret, omnibus quos ille caritate et benevolentia complectebatur, Aspasiae, Anaxagorae, Phidiae summa pericula intendebat. Pericli autem id ipsum inter causas fuisse dicitur rerum turbandarum et belli mouendi, quo plebis oculos a se suisque rebus auocaret. Quae fama licet a poetis comicis nimium amplificata atque corrupta sit *e*), veri tamen aliquid subesse non negaueris: saltem ordo rerum gestarum hinc constitui potest certus et indubitatus, quippe quem confundere ne mendacii quidem leuitas ausa esset. Et ita quidem constitui debet ut lites illas proxi-

---

*d*) Thuc. II, 9. Iam antea Elei cum Corcyraeis, quos Athenienses in foedus suum recepere, bellauerant atque ex praeda porticum in foro exstruxerant, Thuc. I, 46. Paus. VI, 24, 4. Sed ea re gesta foedus et ἐπιμίσθια Peloponnesiorum et Atheniensium nondum sublata erant, sed ἀνεφύρτως adhuc παρ' ἀλλήλους ἐφόρων, Thucyd. I, 146.

*e*) V. Plutarch. de malign. Herod. c. 6. (855. f. Fr.) Cf. Wyttenb. Bibl. Crit. Vol. III. P. XI. p. 80.

me secutum sit acerbum illud populiscitum, quo Megarenses a foro Athenarum portubusque omnibus Atheniensium ditionis arcebantur *f*), quod ut Athenienses tollerent, inter leges pacis erat a Lacedaemoniis ante belli exordium propositas. Hoc maxime deduximus ex Aristophane *g*)

πρῶτα μὲν γὰρ αὐτῆς (εἰρήνης ἀπολλυμένης) ἤρξε Φειδίας  
 πράξας κακῶς,  
 εἶτα Περικλῆς Φοβηθεὶς μὴ μετάσχη τῆς τύχης,  
 πρὶν παθεῖν τι δεινόν, αὐτὸς ἐξέφλεξε τὴν πόλιν,  
 ἐμβαλὼν σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψήφισματος  
 ἐξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον *h*).

Hinc efficitur, cum Megarenses Olympiadis LXXXVII. a. 1. in-  
 eunte de decreto illo conquererentur, quod tum modo factum fuisse  
 videtur, litem Phidiae hoc certe tempore priorem fuisse. Neque ta-  
 men ea longo interuallo ab illo dimouenda est *i*). Nam cum qua-  
 driennio certe Phidiae eiusque discipulis quamvis acribus operique  
 intentis ad Iouem Olympium et caetera omnia, quae in Elide fe-  
 cerunt, absoluenda opus esset, eos non ante tertium Olympiadis  
 LXXXVI annum rediisse probabile est. Hoc autem tempore Pe-  
 ricles haud dubie summa inuidia flagrabat, neque ante hos annos

*f*) Thucyd. I, 67. 139. Schol. Aristoph. Ran. 1337. Acharn. 532. 537. Pace 608. Tzetzes Chil. X. h. 360. v. 950. Ipsi Pericli tribuit Aristophanes Acharn. 532., a Charino factum narrat Plutarchus Pericl. Sed hunc Pericles instinxisse videtur.

*g*) Pace 605.

*h*) Cf. Plutarch. Pericl. 31. et quae Diodor. S. XII, 39 sqq. ex Ephoro (p. 227. Marx) avert.

*i*) Quod etiam hinc colligere possis, quod, Valerio Maximo auctore, III, 1 ext., Pericles post Propylaea demum perfecta, i. e. post Olymp. LXXXVII, 1., ad rationem reddendam vocatus de bello excitando cogitauerit. Sed argumentum infirmius est, et plus demonstraret, quam demonstrare voluerim.



Cleon contra eum insurrexisse videtur, qui, si Sotioni fides *k*), Anaxagorae accusator exstitit, quae causa atque Phidiaca eodem tempore actae sunt *l*).

16. Haec quum satis certa teneamus: haud magnopere demoveri nos patiemur diversa quadam Philochori narratione, quanquam scriptoris haudquaquam spernendi. Philochorus *m*) Phidiam tradit, postquam Minervam in Parthenone posuerit, reum factum esse et metu condemnationis Elin aufugisse, ibique Iouis imaginem fecisse, sed ibi iterum in capitis discrimen vocatum et supplicio ab Eleis esse affectum. Is rerum ordo si verus esset, accusatio illa prior caderet in Olympiadis LXXXV. a. 3 vel 4; quum sub finem huius anni artificem iam Olympiae versatum esse, certissimum habeamus. Tum vero quisque videt litem, quae inter proximas belli causas ponitur, a belli exordio nimis longo intervallo dimoueri, neque id veteres Scholiorum auctores fefellit *n*). Deinde Phidiae migratio in Elidem, qualem supra exhibuimus, omne aliud magis refert quam exilium, quod summa cum festinatione supplicii euitandi causa non sine ignominia subitur; et hoc argumentum mihi palmarium videtur. Denique quis Athenienses tam barbaros habebit tamque mitiore omni humanitatis sensu destitutos, qui vixdum absoluta deae suae *vera icone*, ab invidia et suspitione tam male temperarent, vt diuinum artificem vilissimis exagitarent criminibus.

*k*) Diog. L. II, 12. Cf. J. T. Hensen Anaxagor. p. 40 sq. Satyrus apud Diog. l. l. Thucydidem actorem dicit, qui Olymp. LXXXIV. a. 1. ostracismo expulsus iam ante a. 4. exeuntem reuersus esse videtur (Thuc. I, 117. cf. Boeckh de Antigone).

*l*) Plutarch. l. l.

*m*) Apud Schol. Aristoph. Pace 604. Huic accedit Quatremère-de-Quincy, qui litem in Phidiam Olymp. LXXXV fere media susceptam putat.

*n*) Schol. Aristoph. l. l. ἄλογος δὲ φαίνεται ἡ Περικλέους ὑπόνοια ἐπὶ τῷ ἔτεσι πρότερον τῆς τοῦ πολέμου ἀρχῆς τῶν περὶ Φειδίαν γενομένων.

Sed res magnopere mutatur, si populo leuitate et inconstantia insigni annos quosdam damus, quibus admiratio desideret, inuidia inualesceret, prauis rumores increbescerent. Etiam hoc Phidiae inuidiam augere poterat, quod interea operam suam iis vendiderat, quos breui hostes patriae fore iam quisque augurabatur. Tum iis illa institui poterat, in qua pleraque tam extraordinaria agebantur, ut quanto tum odio flagrauerint Periclis amici, inde quam maxime appareat. Cum enim Meno quidam, ex operis Phidiae, ad aram in foro supplex consedisset, populumque rogasset, ut ipsi impune liceret Phidiam ob crimen in Minervae signo faciendo deferre, isque primum ei crimen peculatus intulisset, quod aurum ad vestem deae destinatum non plenum insumserit, hanc quidem accusationem Phidias egregie propulsauit eo quod auream vestem ab imagine dentam et libratam iustum habere pondus demonstrauit o); sed statim alia ab oratoribus factionis aduersariae obmota est laesam Phidiae numinis sanctitatem exprobrantibus, quod Periclis suamque effigiem deae scuto clam intulerit, tumque plebem variis, ut sit, motibus fluctuantem, nam in comitiis omnis res agebatur, homines factiosi eo perpulere, ut rogante Glycone Menoni vectigalium immunitas praemio daretur, et duces ad bellum delecti, tanquam a factione Periclis homini summum immineret periculum, eum securum praestare iuberentur, Phidias contra in carcerem abduce-

---

o) XXXXIV. talentorum nempe, ut Philochorus l. l. Diodorus XII, 40. numerum auxit ad L. (Hinc nata sunt, quae Suidas s. v. *Φιδίας*, qui in ceteris Scholia ad Pacem sequitur, de peculatu L talentorum habet.) Thucyd. II, 13. XXXX. tantum talenta numerat, cuius verba: ἀπέφθινε δ' ἔχον τὸ ἀγκλμα τετραράκοντα τάλαντα σταθμὸν χρυσοῦ ἀπέφθου καὶ περιαιρετὸν εἶναι ἅπαν, remouent plane dubitationem, qua laborat Heyne l. l. p. 192. v. Boeckh. Oecon. publ. Athen. I. p. 479. Philochori et Thucydidis testimonia conciliare studet Quarr. de Quincy p. 232. Insulsa quaedam de Periclis et Phidiae peculatu profert Scholium in Nubes 861. II.

tur, in quo iudicium de capite opperiens, nam populus praecidium tantum tulerat p), morbo correptus est atque diem supremum obiit q). Phidiam obiisse, Philochorus auctor est, Pythodoro archonte, in quo eum scriptorem verum puto, cum is archon Olymp. LXXXVII a. 1. in magistratu fuerit, quanquam in eo falsum fuisse iam demonstrauimus, quod rumorem quendam secutus, quo scilicet inuidia Phidiae necati ab Athenis remoueretur, Eleos eius facinoris insinulauit, et ex vna eademque lite duas effecit, cuiusmodi geminationes non raras sunt in historia antiqua. Obiit igitur Phidias eodem tempore, quo vltimum Periclis opus, Propylaea, perfecta sunt, quae inde ab Olymp. LXXXV. a. 4. vsque ad LXXXVII. a. 1. struebantur r); itaque verum esse potest, quod Plutarchus dicit, in *omnibus* operibus publicis, quorum curator erat Pericles, Phidiae consilium et artis peritiam ipsi affuisse, quanquam, si alia obstant, certo hinc colligere non liceret, nullum ex illis post Phidiae mortem absolui potuisse s).

17. Sic igitur rationes nostrae sibi constant. *Phidiam inde ab Olympiade LXXXII vel LXXXIII. publica Atheniensium opera Pericle epistata consilio suo rexisse et manuum honore nobilitasse, atque Parthenoni Ol. LXXXV. anno tertio ineunte signum deae intulisse χρυσελεφάντινον; mox, cum nomen eius inter Graecos egregie floreret, Elidem vocatum abiisse deque signum condi-*

p) Omnis enim actio, vt Plutarchus indicat, μήνσις fuerat, de qua v. Schoemann de Comit. p. 219. Platner der Proceß und die Klagen T. I. p. 353 sqq. Meno non accusat sed μῆνσις, quippe Phidiae quodammodo subditus, populus rem persequitur, indici quamuis mendaci μῆνσις tribuuntur. Cf. Platner p. 360.

q) V. Plutarch. Pericl. 31. Minus fiduciae tribuo Diodoro XII, 39. Phidiam capitis poenam luisse, inter veteres tantum alterum Schol. ad Pacem 604. narrat.

r) Heliodorus ap. Harpocrat. s. v. Πρωπυλ. cf. Photium s. v.

s) Vt Quatremère p. 223. contra Heynium obseruauit.

*condidisse inde ab Ol. LXXXV. a. 3. ad LXXXVI. a. 3. Quo absoluto Athenas reversum et populi vel factionis cuiusdam in Periclem odio correptum anno fere Olympiadis LXXXVI quarto publicae accusationis discrimen subisse et cum in carcerem coniectus esset, archonte Pythodoro, Ol. LXXXVII, 1. diem supremum obiisse 1).*

- 1) Quodsi Scholii ad Aristoph. Pacem 604. nexum attente consideraveris: Φιλόχορος ἐπὶ Πυθόδωρου ἄρχοντος ταῦτ' αὖ Φησι· καὶ τὸ ἄγχαλμα τὸ χρυσοῦν τῆς Ἀθηναίας ἐστάθη εἰς τὸν νεῶν τὸν μέγαν ἔχον χρυσοῦν σταθμὸν ταλάντων μδ', Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαντος. καὶ Φειδίαν ὁ ποιήσας δόξας παραλογίζεσθαι τὸν ἐλέφαντον τὸν εἰς τὰς Φολίδας ἐκρίθη. καὶ Φυγῶν εἰς Ἥλιον ἐργολαβῆσαι τὸ ἄγχαλμα τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ λέγεται (hic Heyne l. l. fragmentum Philochori terminari putat, sed nulla de causa, si quid video), τοῦτο δὲ ἐξεργασάμενος ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἡλείων ἐπὶ Σκυθόδωρου, ὅς ἐστιν ἀπὸ τούτου ἔβδωμος: vix dubius haerere potes, Palmerium Exercitat. p. 746. atque Corsinum F. A. II, 1. p. 217. loco priore recte reposuisse ἐπὶ Θεοδώρου ἄρχοντος, altero ἐπὶ Πυθόδωρου, quamquam Heyne l. l. obnititur. Pythodorus enim, Archon Ol. 87, 1., e computatione veterum solita septimus est a Theodoro, Olymp. 85, 3., quo archonte Minervam dedicatam etiam Eusebius probare potest. Et facile perspicitur, eum qui in fine Scholii addidit: ἐπτά ἔτεσι πρότερον τῆς τοῦ πολέμου ἀρχῆς τῶν περὶ Φειδίαν γενομένων, altero loco adhuc legisse: ἐπὶ Πυθόδωρου, quo archonte bellum Peloponnesiacum motum est. Quae alterum, idque brevius, Scholium affert, partim e priore partim ex aliis derivata lenioris notae sunt. — Sed Corsinum quamquam in lectione Scholii constituenda verum vidisse arbitror, in ceteris non sequor, quippe qui Philochori rationes omnes suas fecit, quas cur deteriores habeam, supra significavi. Etiam id erravit, quod Plutarchum opinatur, Pericl. 14. Thucydidem expulsum dicere post litem Phidiae (F. A. p. 220.); cum ex eo loco id tantum colligi possit, Periclem magno operum publicorum molimine iuvidiam iam excitasse ante Thucydidis ostracismum.

18. Haec autem posita viam nobis demum struunt ad *actum* Phidiae atque tempus, quo natus sit, constituendum. Phidias enim, quum Minervam in Parthenone inscribere a civibus ipsi non concederetur, in clypeo deae sui similem speciem incluserat, eo artificio, sicut fama multum in antiquitate celebrata ferebat, ut, si quis eam separare voluisset, soluenda esset compago simulacri totius. Ea autem species erat senis calui vel subcalui *u*), quam certe non induisset Phidias, si iuuenis adhuc fuisset bene capillatus. Statuamus fuisse *quingagenarium*. Senioremem enim fuisse, si cui fortasse placet, ne honor capillitii maturius defluxisse videatur, improbable puto ob amorem Pantarcis, quo sese, dum Iouem faceret, summopere flagrare tum sigillo pueri in solio efficto, tum nomine eiusdem prodidit litteris minutulis Iouis digito ita inscripto: Παντάρκης καλός *x*). Ex qua inscriptione sane elucet vel amoris vesanus furor, vel certe irreuerens quaedam et insolens festiuitas. Cum enim apud Graecos amasii pueris, qui gymnasiorum decora et flores habebantur, vasa fictilia dono ferentes, *παῖς καλὸς* inscribere solerent, atque Athenis, si quis puer ob venustatem celebrabatur, toti parietes verbis: ὁ δεινὰ καλός, implerentur: Phidias summi dei imaginem ab vniuersa Graecia sanctissime cultam non reformidabat testem et documentum furoris facere. Ea vero animi libido etiam inter Graecos sexagenarium vel sexagenario maiorem

*u*) V. Plutarch. Pericl. 31. cf. Dio Chrysost. Or. XII. p. 195. Aristot. de mundo 6. p. 863. ed. Duval. Θανμμωσ. ἀκουσμ. c. 166. p. 340. ed. Beckmann. Cicero Tusc. Quaest. I, 15. Orat. 71. Valer. Max. VIII, 14. Apulej. de mundo p. 72. ed. Elmenh. Ampel. lib. memor. 8.

*x*) V. de ea re Clement. Alexandr. Cohort. p. 16, 12. Arnob. adv. gent. VI, 13. Photii Lex. p. 482, 19. Nazianz. Carm. Jamb. 18, T. II. p. 184. ed. Venetae, eam narrationem transtulit ad Minervae digitum. Ridiculi sunt, qui ut Phidiam excusent, Pantarcis nomine Iouem ab eo celebratum fingunt. V. Christie upon the painted Greek vases (1825) p. 8.

dedecisset, et a populo, *καιρὸν* in quauis re studiose obseruante, intempestiua et deridicula habita esset γ). At fortasse praestiterit non vti hoc argumento quippe a re turpicula ducto, quanquam historia nihil sibi alienum putare debet, quod ad vitam humanam pertinet. Tum ipso Phidiae ingenio, quod, cum Iouem faceret, summopere florebat et tum demum summum, quo enitebatur, gradum assecutum est, uterer documento, hominem virili adhuc atque vegeta aetate tum esse gauisum. Iam igitur si a tempore Minervae atque Iouis positorum, i. e. ab Olymp. LXXXV et LXXXVI, ad priora regredimur: Phidiam *Olymp. fere LXXIII natum* esse iuuenimus, quod tempus supra iam indicauimus: cui aliquot annos fortasse is, cui argumenta proposita laxiora videntur, vel addere vel demere poterit; sed sub bella Persica Phidiam iam floruisse, nemo sibi posthaec persuadere poterit.

19. Cum in hac disquisitione externum tantum, quem vocant, et ciuilem vitae conditionem spectare nobis proposuerimus, et quaestionem de eo, quid in arte praestiterit et quo eam euexerit Phidias, altera sequente soluendam destinemus: vix quidquam superest, quod ad illam illustrandam faciat, nisi vt *discipulorum* ratio habeatur, sine quibus Phidias, si artificem ex operum mole et magnitudine metimur, tantus artifex non fuisset. Nam cum Phidiae permulti adolescentes traderentur, vt mercede pacta artis prae-

---

γ) Contra dicere possis, etiam Pindarum octogenarium Theoxeni pueri amore flagrasse, in cuius sinu diem supremum obiisse fertur, et in quem Scoliam illud fecit celeberrimum: *Χρῆν μὲν κατὰ καιρὸν ἐρώτων δρέπεσθαι, θυμὸς σὺν ἀλικίᾳ: τὰς δὲ Θεοξένου ἀντινάς τις ὄσσαν μαρμαριζοίτας δρακίς ὃς μὴ πόθῳ κυμλίνεται, ἐξ ἀδάμαντος ἢ ἐσιδάρου κευχάλευται μέλαιναν καρδίαν ψυχρῶ Φλογί.* Sed quae de obitu traduntur, fabulae persimilia sunt, et in hoc Sclio magis agnosco ingenii lusum, quam cupiditatis, quae in octogenario deridicula fuisset, feruorem.

cepta et usum eos doceret 2): eos, quos felicior ad eam indole natos videret, ad opera illa adhibuisse putandus est, quae non modo opificum sed et artificum multorum manibus indigebant. Iidemque erant, per quos Phidias vim artis spiritum ad posteras aetates transfundebat, disciplinaque artis vere Attica producebatur, quam etiam in marmorariis, qui cippos vrnasque sepulcrales sculpebant, et hodie agnoscere possumus a). Horum discipulorum celeberrimus facile erat *Alcamenes*, Atheniensis, quem Phidias ipse iuuenis instituit, si modo recte Plinius illum inter artifices Olym-

2) Plato Protagora p.311.

a) In anaglyphis sepulcralibus ex via ad Ceramicum vel aliis locis in vicinia Athenarum in Musea nostra delatis idem persaepe artis  $\chi\alpha\rho\alpha\chi\tau\eta\rho$  deprehenditur, qui in pompa Panathenaica de Parthenone sumpta exstat. Idem enim inest figurarum, ex vetere canone quadratarum, numerus, eadem membrorum compositio, vestitusque decora simplicitas, et quam in operibus Phidiacis summopere miramur, nativa et infucata quaedam gratia neque ab illis plane abstr. Exempla affero monumentum Xanthippi in Museo Britannico (Sixth Room n.23.) et quaedam anaglypha a Comite Forbino, si recte relatum accepi, ex Attica in Museum Parisiense delata, inter quae ob elegantiam et pulcritudinem maxime laudandum est id, cuius titulum Boekhius edidit Corp. Inscr. T. I. p. 538. n. 960., et aliud in quo tantum litterae AT agnoscuntur. Etiam in vasis marmoreis quae exstant anaglypha, quanquam tenuissime adumbrata, saepe Atticum characterem referunt, ut in vasis Marathoniis a Fauvelio erutis in Museo Parisiensi (n. 705. 708. Catal. de Clarac; titulos vide in Corp. Inscr. p. 546. n. 1009. 1010; imagines pessime e lineis Fourmonti expressae sunt ap. Caylum Recueil T. VI. tb. 50, 1.). Sed operi caelato in zophoro cellae Hecatompedi similis etiam est anaglyphum, quod *marmor Caseolinum* ornat, titulo suo celeberrimum (Corp. Inscr. p. 249. n. 147., ubi satis dilucide describitur). Eadem est corporum figura, idem vestium cultus, quanquam id anaglyphum non potest esse sculptum ante Olymp. 92. a. 3., nonum et vigesimum post Hecatompodon absolutum.

piade LXXXIII florentes recensuit. Itaque cum Phidias Elidem decederet, Alcamenes cum secutus propriam in fastigio templi statuis exornando laudem mereri poterat. Neque is vestigia magistri anxie pressisse, sed potius aliquantum ab illo alienatus esse videtur. Quid quod cum ipso Phidia in arenam certaminis descendit, sed cum figuram colosseam et e longinquo conspiciendam ad eandem regulam fecisset ac si oculis prope admotis examinanda esset, prudentiorum iudicio victus abiit *b*). Viuo adhuc Phidia Venerem fecit in hortis, de qua postea sermonem instituemus. Vixit autem per totum bellum Peloponnesiacum magistro superstes. Horum tamen temporum difficultas effecit, vt artificum Atticorum sollertia in domesticis fere tantum templis sese exercere, et ne in his quidem grande aliquid et magnificum praestare posset, cum aerarii opes in classes atque exercitus instruendos absumerentur. Quo factum vt opera Alcamenis, quae a Pausania recensentur *c*), omnia fere in arce et vrbe Athenarum posita reperiantur *d*); neque vllum eorum ob magnificentiam et splendorem vehementer laudetur. Duo tantum, praeter signa illa Elea, memorata inuenio opéra ab Alcamine extra Atticam posita, quorum alterum, Aesculapium Mantinae in Arcadia cultum, faciendum conducere poterat post foedus Olympiadis LXXXIX. a. 4. ab Atheniensibus cum Mantincensibus ictum *e*); alterum, Minerva et Hercules, colossica specie in Heracleo Thebarum caelati *f*), argumento est, Alcamenem etiam post bellum Peloponnesiacum artem factitasse. Eae enim deorum imagines a Thrasybulo post trigintaviros expulsos dedicatae erant, gratiae documento, quam liberator Athenarum Thebanis pro hospitio

*b*) Tzetz. Chil. hist. 193. Chil. VIII, 340.

*c*) I, 2, 4, 8, 5, 20, 2, 24, 3, II, 30, 2.

*d*) Etiam Plinius XXXVI, 4, 4, 3. dicit: cuius sunt opéra Athenis complura in aedibus sacris.

*e*) Paus. VIII, 9, 1.

*f*) Id. IX, 11, 4.



habebat; et ob id ipsum Hercules cum Minerva coniunctus erat. ille Thebarum, haec Atheniensium numen, ut earum civitatum amica societas indicaretur. Itaque aetas Alcamenis satis certa est; de patria hoc tantum addendum, eum a vetere Lexicographo *g*) *Lemnium* dici. Neque id pugnat cum auctoritate horum, qui Atheniensem dicunt. Erat enim, ut arbitror, e numero eorum civium, quibus populus Atheniensium agros in insula Lemno distribuerat cleruchicos, eorundem, quibus Phidias venustissimam illam Minervam fecerat, quam in arce Athenarum dedicatam Lemniam vocabant. Hi tamen non modo Athenarum civitati, sed etiam tribubus et pagis adscripti manebant *h*). Alcamenem autem vrbe relicta sedem fixisse Lemni, inde non certo potest colligi, cum cleruchis domi manere et praedia aliis colenda tradere persaepe concederetur. Crediderim tamen, per aliquod tempus vixisse eum in insula metallorum opificina olim celebri *i*) (nam etiam in aere elaboravit Alcamenes *k*), propterea quod *νησιώτης*, insularis homo, cognominatur *l*), quod cognomen ex praediis insularibus difficiliter etiam quam Lemnii appellationem trahere poterat.

*g*) A Suida s. v. Ἀλκαμ., ubi Isaac Vossius perperam ὁ Λίμνιος, (quod verbum nusquam legere memini) a Limnis, conicit.

*h*) V. Boeckh Corp. Inscr. ad n. 108 et 168. b. Oecon. publ. Ath. I. p. 461.

*i*) V. Welcker de Aeschylis trilogia p. 206. 209.

*l*) Plin. XXXIV, 8, 19, 12. Tzetzes loco laudando χαλκουργόν dicit.

*l*) Tzetz. Chil. VIII. hist. 193. v. 340. Hic iterum quaestionem moueo de artifice κατ' ἐξοχήν νησιώτη dicto, inchoatam Aegineticis p. 102., dehinc tractatam a Fr. Thiersch de epochis artis II. Not. p. 34. (cf. Schorn de studiis artif. Graec. p. 206. n. 33.), quem ut mea emendasse libenter confiteor, ita de suis nonnulla mihi nunc concessurum spero. Sed plene exhibenda, quae ad eam quaestionem pertinent. Lucianus de rhet. praec. 9. artifices priscae artis Hegesiam et Critiam τὸν νησιώτην appellat. Idem Critias ὁ νησιώτης ab eodem, Philops. 18., Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas aere po-

20. Alter Phidiae discipulus, *Agoracritus* Parus, quanquam fama minor Alcamene, quippe quem antiquitas proximo post Phi-

nisse dicitur, quos scimus factos esse, postquam priores Antenor's statuas Xerxes abstulerat, paucis post pugnam Salaminiam annis, cf. Pausan. 1, 8, 5. Arrian. Exped. Alex. III, 16, 4. Marm. Par. Ep. 55. Iam hinc intelligitur, Critiam τὸν νησιώτην eundem esse qui alibi ὁ Ἀρριμὸς appellatur. E Luciano autem Plinium XXXIV, 8, 19. correxit primus Hadr. Iunius: Quo eodem tempore (Olymp. LXXXIII.) aemuli eius (Phidiae) fuerunt Alcamenes, Critias Nesiotas (vgo Nestocles), Hegias (idem qui alibi Hegesias). Coniecturam Nesiotas ut suam profert Gedoynus in Vita Phidiae, male perscripta, in Act. Acad. Inscr. Gallicae T. IX. p. 190. Atque eodem plane modo nomina duo priora coniunguntur a Plutarcho reip. ger. praec. 5. p. 146. H., artifices recensente Alcamenem et Nesiotam et Ictinum, ubi Nesiotam ipsum illum Critiam esse dubitari nequit (minus recte tractavit locum Wytttenbachius, pessime Reiskius), atque apparet, Atticum hominem significari, cum omnia ibi exempla ex Atheniensium republica petantur. Iam insulam Atticam, vnde Critias nomen nactus est, Thierschius vnam illarum putat, quae eius insulas siue saxa appellare maus, circa Atticam disiectae iacent, ut insula Patrocli, Helena aliaeque. Id vero improbable, cum temporibus liberae Athenarum RP. homines Helena oriundi nunquam memorentur, ita ut nullus ibi demus fuisse videatur. Cf. Boeckh de metallis Laurii in Actis Ac. Berol. a. 1816. p. 110. Neque Belbinitam putaverim, cum Belbinita et Atheniensis sibi opponantur, Herod. VIII, 125. Potius Salaminium dixerim, nisi ex iis, quae de Alcamene tradidi, probabilior ratio se offerret. Nempe etiam Critias e cleruchis Lemniis fuisse atque sedem in ea insula fixisse videtur. Neque veri dissimile, Alcamenem, cum in Lemno insula viveret, Critiae institutione vsum esse, quapropter vtriusque nomen a Plinio et Plutarcho coniungitur, postea autem in Phidiae disciplinam transiisse, sed ita ut huic sese non totum dederet. Critiam diutius in ea insula vixisse necesse, quod inde colligo, quod nomen τὸν νησιώτην huic magis, quam Alcameni, adhaesit. Fortasse etiam cum officina quadam aerariorum Lemnia coniunctus erat,

dum gradu collocauit *m*), magistro tamen magis acceptus fuisse videtur, cuius gratiam etiam aetatis flore meruisse traditur *n*). Hinc puerum adhuc illius disciplinae traditum esse colligimus. Atque eam coniunctissimum fuisse cum Phidia etiam hinc intelligitur, quod perpauca ipsius memorantur opera, et nulla fere, quae veteres scriptores non dubitent vtrum Phidiae fuerint an Agoracriti *o*). Nempe hisce vtrumque manum admonisse, fama seruauerat; in aliis in quibus discipulus magistro operam suam commodauerat, minus illustre nomen splendidiore penitus obscuratum erat. Contraria quidem his narrare videtur Plinius: Phidiam e suis operibus pleraque Agoracriti nomini donasse; sed cum fama atque ambitio possidentium Agoracrito illustrius nomen praeferret, dona illa ad magistrum relata esse videntur. Sed ex illis signis, quae cuius sint dubitatur, sunt Magna Mater in Metroo Athenarum, quam Agoracrito Plinius *p*), ceteri Phidiae tribuunt *q*), atque Nemesis Rhamnusiae. Id signum colosseum, nam decem cubita altum erat *r*), cum crisin archaeologorum iam saepius exercuerit *s*), paucis tantum exponam,

---

quae a statuariis Samiis, qui ibi artem factitauerunt (Aeginet. p. 99.), atque a Glauco Chio (Amalth. III. p. 25.), vel, si vis, ab antiquis Lemni Aethalidis et Hephaestiadis originem repetebat.

*m*) Paus. V, 10, 2.

*n*) Plin. XXXVI, 4, 4, 3. Pausan. IX, 34, 1.

*o*) Pausanias tantum Iouem et Minervam Itoniam in aede ad Coroneam opera Agoracriti habet, l. l.

*p*) XXXVI, 4, 4, 3., quo loco non dubito, quin opus in Magnae Matris delubro ipsum sit deae signum.

*q*) Pausan. I, 3, 4. Arrian Peripl. Pont. Eux. apud Hudson Geogr. min. I. p. 9.

*r*) Hesych. s. v. *Ῥαμνυσία*. Cf. Strabo IX, 396 c.

*s*) Winckelmann Hist. Art. T. VI. p. 42. ed. Dresdens. Editores in Annotat. VI, II. p. 59. Herder de Nemesi (Zerstreute Blätter, zweite Samml.) p. 228. Zoëga Abhandlungen ed. Welcker p. 56. 62. et quae

Welcker

quae mihi de eo vera vel certe probabilia videantur. Primum nihil plane obstat quominus famae receptae credamus, Athenienses et Alcameni et Agoracrito Venerem e marmore faciendam mandasse ea lege, ut sibi inde eligendi, quae potissimum placeret, optio esset, eoque consilio, ut utram optassent, ea in delubro deae in hortis (ἐν Κήποις) dedicaretur. Id vero signum, quod fieri volebant, si nobis mente fingimus, diligenter amouenda est imago Veneris, quae ut cuiusvis facile oculis obuersetur, opera artis iam emollitae et delicatulae fere effecerunt. Verum prisca illa Venus, ut iam omnibus notum est, vestita fingebatur, nisi quod plerumque tunicae sinus laxatus et demissus alteram mammam leviter denudabat, neque vestita tantum sed diligenter culta et ornata, et vultu non meretriculam sed magnam quandam et caelipotentem deam referente, denique sedentis specie, quia haec templorum cultui aptior videbatur. Iam Venus, quam Alcamenes fecit, Atheniensium iudicio potior habita est, et posterioribus etiam temporibus, cum ambitio omnis iam dudum deferbisset, opus huius sculptoris absolutissimum censebatur atque maxime ob oris et manuum pulcritudinem laudabatur *t*). Sunt tamen, qui Agoracritum non opere sed civitatis studio contra peregrinum suo fauentis victum esse tradant *u*). Et profecto spernendum et hoc opus esse non poterat, cui ipse Phidias manum vel reuera adhibuit vel adhibuisse dicebatur, ita ut, licet tabellae appensae ΑΓΟΡΑΚΡΙΤΟΣ ΠΑΡΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ inscriptum esset *x*), Phidias tamen a plerisque scriptoribus auctor signi nuncuparetur *y*). Quin id M. Te-

Welcker addidit p. 417. H. Meyer Art. Hist. II. p. 83. Siebelis ad Pausan. I, 33. p. 121 sq.

*t*) Lucian. Imagg. 6. cf. Paus. I, 19, 2.

*u*) Plin. XXXVI, 4, 3.

*x*) Antigon. Caryst. ap. Zenob. Prov. Cent. V, 82. Tzetz. Chil. h. 154. Ch. VII, 930.

*y*) Paus. I, 33, 3. Pompon. Mela II, 3. Hesych. s. v. 'Ραμνοῦσα. Suid. s. v. 'Ραμνοῦσαν. Photius Lex. 'Ραμνοῦσα p. 482. 12. Tzetz. Chil. l. l.

rentius Varro z) omnium, quaecumque viderat, signorum summis laudibus extulit. Hoc igitur cum spreissent Athenienses, Agoracritus vendidit Rhannusiorum demo, ut ibi nomine Nemeseos poneretur. Quod fieri posse ne dubites, observandum, Nemesin Rhannonte cultam, non modo invidiam deorum, sed rerum omnium dispensatricem et moderatricem, numen fuisse Veneri illi primaciae laud dissimile a). Itaque mali arboris ramusculo nemo mirabatur, sicut Venerem, ita et Nemesin insigniri b). Cetera symbola, sicut coronam ceruis et Victoriis exornatam atque phialam Aethiopum, iustorum hominum, sigillis insignem, post signum marmore confectum e metallo adiecta putauerim, cum pateras, quas deorum imagines manibus tenebant, satis constet persaepe fuisse aureas. Etiam basis signi ab artifice tum demum additam, postquam compertum habebat, Nemesin fore quod signi fecerat, anaglypha in ea exsculpta luculenter docent c).

---

Diodotus, cui quidam apud Strabonem IX, 396 c. hoc signum tribuunt, a ceteris ignoratur. Plinius de signo Alcamenis: huic summam manum ipse Phidias imposuisse dicitur, affirmans (XXXVI, 4, 3) de alio cogitare, de alio loqui videtur. — Welckerus l. l. cum aliis dubitat, an aliud sit signum, quod Phidiae et quod Agoracriti tribuitur, atque etiam hoc ad fati νέμεσιν declarandam inuentum suspicatur a grammatico, quod Athenienses signum aspernati essent, postea Nemeseos sub specie summis laudibus nobilitatum. Fateor sedulo cauendum esse, ne inuentis sophisticis et epigrammaticis fallamur; nihilominus, cum in hac narratione nihil plane rebus aliunde cognitum refragetur, hanc certe veram habeo.

z) Apud Plin. l. l.

a) Suidas et Photius II, II, de Nemesi ea: *αὐτὴ πρῶτον ἀφιέρωτο ἐν Ἀφροδίτῃς σχήματι.*

b) V. de eo praeter Pausaniam Hesychium, Suidam, Photium, Zenobium II, II.

c) Nam quod primo loco caelatum erat, Helena a Leda ad Nemesin deducta, Paus. I, 33, 7., id tantum ad Nemeseos fabulas referri

21. Haec de Agoracrito. De *Colote* praeter ea quae superiore loco attulimus, nihil relatu dignius affertur *d*). Neque de *Paeonio Mendaco*. Sed fortasse *Phidiae* discipulis addi poterit *Theocosmus* Megarensis. Is enim, quanquam *Phidia* multo iunior, quippe qui etiam post pugnam ad *Aegospotamon* artem exercebat *e*), tamen ab illo in loue ex auro et ebore fingendo adiunabatur, quod facit ut nexu quodam disciplinae eos coniunctos putem *f*). Sed confectioni eius signi obstitisse videtur casus ille, qui bello Peloponnesiaco facem praetulit; atque *Phidia* e viuis exento *Theocosmus* Iouem absolvere solus vel non audebat, vel operis magnificentia opes ciuitatis superabat. Ita factum, ut ad posteriora vsque tempora facies tantum dei ex auro et ebore colligata splenderet, sed reliquum corpus gypso tantum atque luto suppletum esset.

---

potest, non ad Venerem. Cetera idem filum sequuntur, cum ad *Tyndaridarum* et *Pelopidarum* gentes spectent, excepta anaglyphorum extrema parte, qua heroes pagi vicini, *Oenoae* (est *Gnoa* *Aeantidos* tribus pagus), exhibebantur. Scripsi haec maxime ob Annotat, in *Winkelm.* Opp. T. VI, 2. p. 61.

*d*) Statuas philosophorum fecisse, *Plinius* XXXIV, 8, 19, 27. Non credo.

*e*) *Pausan.* X, 9, 4.

*f*) *Paus.* I, 40, 3.

DE  
**P H I D I A E V I T A**  
 COMMENTATIO ALTERA  
 C. ODOFR. MUELLERI,

RECITATA IN CONSESSU SOC. REG. D. XXX. APRILIS A. MDCCCXXV.

1. **S**uperiore tractatu ex antiquorum scriptorum locis narrationem de ea Phidiae vita contexuimus, quae in omnium conspectu agebatur. Quo nobis viam munituisse videmur ad cognoscendam eam hominis vitam, quae ingenii actione continetur, quam interiorrem dicere solent. Eam quidem in Phidia fere omnem artis, quam nunc plasticam dicere solemus, studio transigi necesse, cum huic omnem, quae in eo erat, animi vim, ingenii alacritatem, agendi sollertiam impenderit. Atque agendi gnauam sollertiam iam agnoscimus in multiplici varioque, quo is vnus vir excellebat, artis exercendae genere. Nam de tabulis, quas pinxit, supra vidimus; idem autem ex aere statuas posuit; idem marmora sculpsit, quod praeter Aristotelis aliorumque loca a) duae Veneres demonstrant, quas

a) Σοφὸς λιθοργός, Ethic. ad Nicom. VI, 7. cf. Hesych. T. II. p. 1506. Φειδῆαι λιθοῤῥοί. A Dionysio, de Dinarcho 7, Phidias γλυφεύς Polycleto πλάστη ὀπποῖνιτ. Tzetz. Chil. VIII. h. 192. v. 328. de Phidia: καὶ ἀνδριάντας χαλπουργῶν καὶ γλυφῶν (ex marmore) δὲ καὶ ἔβων (ex ebore). Etiam Minervam in Hecatoupedo e marmore facturus erat, ni Athenienses eam pretiosiore materia constare iussissent. Valer. Max. I, 1 ext. 7.

eius manu sculptas antiqui auctores memorant *b*); idem denique torcentices siue caelaturae peritissimus, et in signis ex auro et ebore colligandis, quam fabricam veteres scriptores eodem vocabulo Græco complectuntur, eximius erat. Quid quod ei, cui Pericles omnia, quibus Athenae tum exornabantur, opera regenda et gubernanda tradidit, cuiusvis artis, etiam architecturae, peritia inesse debebat. Et cum in aedibus illis struendis et poliendis ornandisque fabri tignarii, aerarii, lapicidae, tectores, sculptores, tinctorum, pictores, fectores, aurifices, eboris ducendi et colligandi periti, aulaeorum textores plumarii que assidue occupati essent: his omnibus dux et imperator praeerat vnus Phidias. Sed is quo maiore ambitu artem exercebat, si operis atque materiae ratio habetur, eo angustioribus finibus sese continebat, si, quos posueris, spectas. Etenim diis fere solis is artifex artem suam consecrauerat, ita vt inter statuas et signa eius manu sculpta, quocumque ab antiquis commemorantur, hominis nulla occurrat imago nisi pueri ab ipso dilecti Pantarcis *c*). Quod si verum, haud scio an Quinctialiani *d*) reprehensio inanis sit: Phidiam diis quam hominibus efficiendis meliorem artificem fuisse. Contra athleticarum imaginum fabricam, quamuis ars adolescens et vinculis priscae pietatis sese exsol-

*b*) Altera Pario saxo excisa Athenis, Paus. I, 14, 6., altera, de qua Plin. XXXVI, 4, 4, 3., tum Romae in Octaviae porticibus posita. Eleorum Venerem Uraniam Phidias ex auro et ebore fecerat. Quod autem Scholia in Gregor. Nazianz. ap. Gaisford, Catal. Mss. Clarkian. p. 36., quae de Phidia permira narrant, etiam Venerem ei tribuunt, quae spectantem quemuis libidinose commouerit, a Phidiae artis characterem plane abhorret.

*c*) Nam Pantarcem a Pausania VI, 4, 3. peritis significari, mihi cum Kuhnio persuasissimum est. Atque egregie Siebelis rationem ostendit, cur eadem statua et hic et VI, 10, 2. memoretur. — Igitur duo signa palliata, de quibus Plin. XXXIV, 8, 19. heroum imagines fuisse videntur.

*d*) Instit. XII, 10.



vere gestiens magna inde ceperit incrementa, aspernatus est is, qui absoluta iam et matura arte ad summa quaeque praestanda utebatur: ex quo perspicitur, qua se ipse dignatione Phidias habuerit.

2. Eandem vero ei dignitatem tribuit vnanimis et aequalium et posterorum in antiquitate consensus, qui eo maioris faciendus est, quo magis temporibus mutari et pro ingeniorum varietate inter se distare alias de artis operibus hominum iudicia videmus. Sed Phidiam nemo fere erat, qui non omnibus anteposuerit *e*), nemo, qui in vlla artis parte necessaria reprehendere ausus sit, ita vt morosas omnes et iniquas cauillationes antiquitas reliquerit iis, qui nostris temporibus ieiuni scilicet et artis instinctu intacti critici audire cupiunt. Iouem Olympium Phidiae Plinio teste *f*) nemo aemulabatur, quippe qui Quinctiliano auctore *g*) adiecisse aliquid etiam receptae religioni videbatur, adeo maiestas operis deum aequauit. Et quid ad laudem signi alicuius efficacius dici potest, quam habitum esse infortunium, si quis, antequam id conspexerit, diem obiret *h*), contra omnium malorum, quae aliquis perpessus sit, eius signi aspectum esse Nepenthes *i*). Sed in laudando hoc vno signo multum grassata est Graecorum facundia, quae quidem alias in operibus artis describendis loquacitatis non arguitur, verborumque strepentium inani iactatione multum cedit nostris hominibus.

3. At fuere tamen etiam inter antiquos, qui in quibusdam Phidiae antecellere statuerent Polycletum, et hunc Ageladae disci-

---

*e*) Quod Pausanias Onatam nullo Atticorum inferiorem dicit, singulari artis Aegineticae studio tribuo.

*f*) XXXIV, 8.

*g*) Instit. XII, 10. cf. Polyb. Exc. XXX, 14, 3., vnde hausit Suidas s. v. *Φειδίας*. Cf. Liv. XLV, 28.

*h*) Arrian Epictet. I, 6.

*i*) Dio Chrysost. Or. XII. p. 208.

pulum et Iunonis apud Argiuos statuæ auctorem. De qua ubi loquitur Strabo *k)*, *Polycleti signa eburnea, quanquam a colossis Phidiae granditate et magnificentia superentur, omnibus tamen arte præstare, affirmat. At aperte refragatur Quinctilianus, qui Phidiam in ebore longe citra æmulum fuisse narrat, sed facit cum Strabone Plinius, toreuticen (quæ ars etiam in ebore et auro componendo versabatur) a Phidia apertam et demonstratam dicens, sed consummatam a Polycleto. At Strabo et Plinius ex mea quidem opinione nihil aliud his verbis significant nisi quod in materia tractanda, in ebore secando, poliendo, conglutinando quaedam a Phidia adhuc ignorata adiuuenit Polycletus, quippe qui Iunonem nonnullis annis post Iouem Olympiæ positum fecit. Eaque opinio inde subsidium nanciscitur, quod cum ebur in Iouis simulacro aliquot annis post solum ruptum hæret eoque consarcinando Damophus Messeniensis magnam laudem et gratiam mereretur, nihil vsquam simile de Iunonis imagine relatam legitur. Quanquam neque Phidiae tempore ars eboris tractandi poterat esse inculta, quod caue ne tibi e Plinii verbis sumas, cum eam plurimum antea sæculorum continuo usu prouectam fuisse satis constet. Sed in his tamen, ut dixi, aliquid profecisse potest Polycletus. Nihilominus in signo uniuerso componendo, commodulando et ad opticas quoque regulas committendo Phidiam summum iam artis gradum consecutum esse, docet antiquitas *l)*, et nisi idem colorum rationem et effectum probe intellexisset, diuersus et multiplex eorum in hoc signo splendor oculos intolerabili vi percussisset et offendisset. Contra qui Polycleto fauent, niti possunt etiam iudicio artificum *m)*, quo inter Amazonas in aede Dianæ Ephesiæ dedicatas maxime probabatur Poly-*

*k)* VIII, 372. cf. Quatremère - de - Quincy Iupiter Olympien p. 326 sqq.

*l)* Cf. Tzetz. Chil. VIII, 193.

*m)* V. Plin. N. H. XXXIV, 8. Etiam Xenophonteus Socrates, Memorab. I, 4, 3., Polycletum ceteris omnibus artificibus præfert. Dubito, an Platonicus Phidiam primo loco posuisset.

cletea, alterum ab ea locum tenebat, quam Phidias ex aere fecerat. Sed ne ea diiudicatione abutamur, reputandum nihil fere Amazonis figura accommodatius fuisse Polycleti ingenio, quippe qui ultra laeues genas non audebat et in signis quadratis, stantibus vel leniter mouentibus, quales fuere viragines illae, summam laudem merebat. Atque vt liceat quaedam de Phidiae ingenio praeripere vt eius cum Polycleto comparatio institui posset: hic sine dubia regulae arti suae propriae scientissimus, modi mensuraeque intelligentissimus, decoris denique formaeque dignitatis erat obseruantissimus, ita vt, qui formis figurisque ipsis canonicisque quibusdam lineamentis artis summam inesse putarent, palmam ei libenter concederent: contra quibus persuasum est, ad animi sensus pulchriores vel, vt verbo vtar, ad ideam quandam altiozem et diuinam exprimendam humani corporis forma vti summum quemque artificem, eos omni aeuo Phidiam praerferre consentaneum erat n).

n) Ne in his, quae de *Polycleto* dixi, parum accurate distinxisse videar, moneo me cum Pausania nunc distinguere Polycletem Argium maiorem, Iunonis signi auctorem, a minore quodam, Naucydis discipulo, Paus. VI, 6, 1., sed me Argium maiorem eundem arbitrari, qui a Plinio Sicyonius, Ageladae discipulus, canonis repletor et toreutices consummator dicitur. A Plinio hunc Sicyonium ab Argio maiore non distingui apertum, nam a quo toreuticen consummatam rectius dixeris, quam ab eo cuius *ξόανα χρυσολεφάντινα* Strabo dicit (loquitur autem de signo Argio) *τέχνη εἶναι κάλλιστα τῶν πάντων*? Sed etiam cetera, quae de Polycleto Argio et Sicyonio referuntur, egregie concinunt, ita vt Quinctiliani verba (XII, 10.): *Diligentia ac decor in Polycleto supra ceteros: cui quanquam a plerisque tribuitur palma, tamen, ne nihil detrahatur etc.*, si Argium et Sicyonium distinguere velis, plane nescias vtri tribuas. Et cum multi sint scriptores, qui laudes Polycleti canant, num eos omnes aut inscitiae aut summae negligentiae condemnabimus, quod nullus eorum duos esse Polycletos, vtrumque in arte principem, Phidiaeque vtrumque aemulum, ne nutu quidem significauit? Denique

4. Ut denique Polycletus artem in quibusdam rebus ultra Phidiam prouexerit: ipse iam profecerat a Phidia, cui quidem aequalis erat, sed nonnullis Olympiadibus, si primaria utriusque opera spectas, posterior. Phidias autem quam longe post se reliquerit eos, qui ante eum artem factitauerant, iam inde intelligitur, quod nusquam cum iis eodem praestantiae et honoris gradu ponitur. Quid? nonne paene obliti fuisse videntur Athenienses omnium, quos ante Phidiam habuerant, artificum: tam raro nominum olim fortasse splendorum, sed Phidiae insequentis laude plane obscuratorum, Antenoris, Hegiae, Critiae insularis, mentio iniicitur. Neque in ceteris artis domiciliis quisquam inter antiquiores artifices reperitur, qui Phidiae aemulus habitus sit. At cur haec dico? Ne putes, ut, panegyristae instar, Phidiae solius laudes eleuem, ceteros deprimam. Sed eo consilio, ut ostendatur, artem Graecam

---

que quomodo excusabimus et Plinium et Pausaniam, quod hic Sicyonii, ille Argiui penitus oblitus esse videtur? Iam vides statuendum, Polycletum natione Sicyonium, cum in disciplinam Ageladae Argiui venisset, quod puto circa Ol. LXXX factum esse, et mox artis laude florere coepisset, domicilium fixisse Argis, in vrbe opificiis tum satis celebri, eumque ab Argiuis, fortasse ob Iunonem positam, ciuitate donatum esse. Haec opposui parti eorum, quae Thierschius disputauit, Epoch. art. II. not. p. 43. 62. Ceterum is Polycletus, Sicyonius idem atque Argiuus, Phidia aetate non maior sed minor erat, quippe qui Iunonem Argiuam post aedem Ol. LXXXIX, 4. crematam posuit. Atque si Milichii Iouis signum statim post τὸς χιλοὺς Argis electos factum ponis (Paus. II, 20, 2.): Polycletus maior eius auctor erit, idque opus Ol. LXXXX, 4. vel proximis annis peregrinae censendus; si statua erecta est post συναλισμὸν (quod statui de Doriensibus scribens L. III, 9, 1. p. 145.) de Polycleto minore, Naucydis discipulo, Olymp. XCV ad CI florente, cogitandum est. Neque Plinius, de Sicyonio agens, nisi eum Phidia minorem fuisse nouisset, ab hoc toreuticen inchoatam, ab illo consummatam dicere poterat.

sub Phidiae tempus *non continuo quodam progressu* sensim et pedetentim esse prouectam, *sed repentino motu atque impetu* ad altissimum, quem fere assecuta est, gradum tetendisse. His verbis significauit, in quibus summa huius disputationis continetur, et quae ut quam clarissima in luce ponantur allaborabo.

5. Quod ut fieri possit, inquirendum primo loco in rationem viamque, qua ars per aetates perihodosque temporum excolatur, crescat, immutetur: quam vocabulo, quod recentiores non inepte confluxerunt, artis historiae *organismum* appellare poteris. De ea ratione primus in historia artis describenda cogitauit Ioannes Winckelmann, eoque vno iam, ut inter principes qui litteras illustrauere, viros censeretur, meruit. Is enim viderat, etiamsi parum claris verbis expresserit, artem a populo quodam facitatem esse velut corpus quoddam vnum et totum, quod vitam agat continuam et cohaerentem, cuius sequens quodque momentum ab antecedente pendeat, et prius seminis instar, qualia futura sint posteriora, iam indicet: quod tamen non ita intellexeris velim, sicut multi intelligunt, ut in primo quodam causa necessaria quaerenda sit sequentium omnium, sed ea causa habeatur vitae totius conformatio et lex quaedam suprema, quae in singulis omnibus peraeque conspicitur o). Puto idem fere significare voluisse Iosephum Schelling in oratione, quam in consessu Academiae Monacensis habuit, de Winckelmanno ita pronunciantem: eum virum primum artis opera ad naturalium rerum rationem et leges considerasse, cum ante eum omnia, quaecumque ab hominibus peragerentur, ab arbitrio pendentia et lege omni soluta haberentur eaque mente tractarentur. Sed ut rem dilucidioribus verbis exponamus, non de arte vniuersa, sed de singulo artifice dicamus. Quod igitur artifex artem suam certo quodam modo exercet, eius rei causa primaria sita est in hominis

o) Cum his conferri peruelim, quae ingeniose disputauit egregius Batavus *J. R. Thorbecke*, Ueber das Wesen und den organischen Charakter der Geschichte. Göttingen 1824.

naturali indole, cuius causas quanquam indagare non possumus, id tamen affirmari poterit, hominem iam nasci populo nationique, ad quam pertinet, quodammodo conformem; alioquin nulla conformari posset populorum certa natura. Naturam autem hanc quae excolunt, dirigunt, formant, sunt exempla, opiniones receptae, institutio, est igitur aetatis populique ingenium. Iam homo natura et institutione ad aetatem nationemque suam ita conformatus, vbi se ad artem colendam conuertit, accedit ad eam antecedentium artificum opera in certo quodam gradu constituta, atque eam vel eodem retinebit vel ad altiorem euehet vel ad inferiorem delahi patietur. Quorum quid et quo quidque modo facturus sit, pendet tum ab hominis ingenio, tum vero ab ipso, quo bonae artes nunc consistere, gradu separatim considerando.

6. Varia enim et diuersa horum graduum est ratio et inter se coniunctio et affinitas, de quibus fere dicere licet, quae Cicero librorum de republica pluribus locis: *certum esse conuersionis cursum mirosque orbis et quasi circuitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum.* Potest esse ars statu quodam, in quo omnes acquieuerunt, tum quia meliorem, qui ea aetate viuunt, pro ingenii viribus assequi non valent, tum quia nihil est quod desiderium excitet et stimulum admoueat. Hunc statum auguramur fore diuturnum, eumque duraturum, donec ea hominum natio, in qua artes illae coluntur, eo vsque adoleuerit, vt suam ipsa artem adspernetur. Alii gradui in situs est fortasse eiusmodi desiderii igniculus, atque homines notionem de praestantioribus operibus nescio vnde imbibierunt, sed dormit ea quasi in pectoribus, inueteratae consuetudinis mole oppressa et sepulta, ita vt ad eam suscitandam et explendam insolita quaedam requiratur virium contentio, et aeuum virum exspectare debeat huic parem. Quid? nonne magna fiet mutatio, cum hic exoritur, et vix metuo, ne diu defuturus sit. Denique gradus sunt quam proximi aliis quibusdam, atque in eos quodammodo proni et inclinati, ita vt etiam mediocres vires eos attin

gere queant, et ars, vt ita dicam, per hominum aetates ordinatim et leniter processura videatur. Illis gradibus tantum descripsimus vitam, quam ars separatim spectata agit; sed facile intelligitur, variari species, si in computationem adhibeas, quae externa aguntur. Quo fit, vt in rerum historicarum causis indagandis multitudine plerumque eorum, quorum ratio habenda est, fere occaecemur. Vt exemplum ponam, statuamus artem ad gradum peruenisse, vnde ad alium prope situm facilis ille patet et procliuis transitus, sed bello diurno, quod homines ad eam exercendam idoneos auocauerit, esse retardatam: iam silent arma, redeunt opifices, feruent denuo officinae, et nihil magis consentaneum, quam proximis annis magna et eximia praestari. At talia mitto, vt quae artis cursum quidem adiuuare vel ei moram et impedimentum afferre possunt, sed motus principium continere non possunt. Id contra vrgeo, quod ad nostram quaestionem maximi momenti esse videtur: artis non esse in eadem natione continuum et aequabilem semper processum, sed gressum modo tardiozem atque segnem, modo velociorem et praecipitem, saepe etiam cursum et volatum, cuius celeritatem oculis vix assequi possis. Neque tamen eo tolli putes singulorum graduum inter se coniunctionem et naturalem quandam necessitudinem. Quid quod nulla plane intelligitur vita, quin post certum temporis decursum noua et ante incognita ad lucem proferat, quae proximorum, quae antecessere, nexu soluta esse viderentur, nisi vt inde naturaliter sequerentur, vniuersae vitae lex et norma efficeret. Itaque sicut in planta, cum florescit, noua existunt et a ceteris omnibus diuersa membra, atque vitae omnis ratio mutatur, siquidem quod antea totum fuerat in sua forma absoluenda, nunc nouae condendae caeco quodam appetitu regitur, atque vt eiusmodi ambitus et perihodi in omnibus rebus, quibus natura vim vitalem impertiuuit, obseruantur *p*): ita etiam in eo vi-

*p*) Haud inutile erit ad hunc locum comparare, quae *Goethius* de *Metamorphoseos* plantarum legibus egregie obseruauit.

tae genere, quod mente et animi actione, neque tantum in singulis hominibus sed etiam in natione hominum, peragitur, sunt conuersiones quaedam, quibus quae efficiuntur, ex antecedentium serie non aliter fluunt, nisi quatenus hac absoluta nouam inchoare iubet ratio et lex vitae totius.

7. Quae omnia ne aliena a nostro loco putes, dicta ea confiteor contra eam de artis historia notionem, quam a Winckelmanno inde acceptam recentiores, ii maxime qui Winckelmanni opera cum commentariis in Germania edidere, excoluerunt et multi ad hunc vsque diem retinent *q*). His enim persuasum est de continuatione artis ab antiquissimis inde temporibus ad summum absoluteionis gradum, quem demum Praxitelem, Lysippum, Apellem assecutos dicunt, eaque tam arcta atque adstricta, vt nullus fuerit transitus non praeparatus, nulla via non affatim munita, nullus accessus non facilis et expeditus. Quae notio cum hominum animis fixa inhaereret, etiam de Phidia ita statuendum videbatur, vt, cum priores arti iam neruos atque lacertos addidissent, et grandes atque fortes diis tribuissent formas, is artifex cum grandi hoc validoque genere pulchrum ita coniunxerit, vt sublime assequeretur, suauem

---

*q*) Winckelmannus et ipse eam plerumque sequitur, quanquam idem Hist. art. IX, 2. Opp. T. VI. p. 32. fatetur, artem ab Agelada ad eius discipulos repentino quodam motu et impetu prouectam esse, sicut poesin ab Aeschylō ad Sophoclem. (Quod quidem exemplum non conuenit.) Eadem notio regnat, vt dixi, in commentariis Winckelmanni operi adiectis (v. praecipue Opp. T. V. p. 517.) et in H. Meyeri Historia Artis, quem tamen iam ectypa marmorum Elginianorum docere, artis inde a seueriore genere ad absolutam formae dignitatem celeriore transitum statui debere. T. I. p. 297. Nunc autem plures eam impugnant, inter quos Fr. Thiersch eminet, cum ante illa opera accuratius cognita communi fere omnium opinione stabilita fuerit, quod etiam affirmat Quatremère-de-Quincy, litteris ad Canouam datis p. 107.



tamen et iucundum non contingeret, quippe qui in toto ponendo sedulus, quid elegans esset atque placeret in singulis, parum attenderet, et hacpropter in vestibus pliçandis, capillis disponendis aliisque eiusmodi rebus rudem antiquitatis morem non emendaret. Haec si vera sunt, equidem profecto non intelligo, cur Phidiae vnus gloria nomina priorum artificum tantopere depresserit, praesertim cum pulchritudo, quae eius operibus tribuitur, seiuncta a suavitate res quaedam ambigua et obscura esse videatur. Iam igitur mihi officium imposuisse videor vt explicem, quid ex mea opinione Phidiae arti proprium fuerit ac singulare, eamque tanta intercapedine ab omni priorum molimine disiunxerit.

8. Id vero declarari non poterit, nisi prius, quem ad gradum ante Phidiam ars adducta fuerit, diligenter quaesitum fuerit. Huius vero cognitionis duo sunt fontes, sicut duplex omnino est materia, ex qua artis historia construitur. Tum enim scriptorum locis vitmur, tum operum ad nostrum vsque diem seruatorum demonstratione. Sed quae scriptores suppeditant, quum nullus inter eos superstes sit, cui, quid quisque artifex praestiterit, docere propositum esset, omnia sunt pertenuia; ac de genere artis, quem stilum vocare solemus, per aetates immutato nihil fere relatum legeremus, nisi scriptores quidam rhetorici ad suae artis progressionem declarandam statuariae historiam in auxilium vocassent. Quae ab his dicuntur et significantur, si coniunxeris, haec efficiuntur. Callonis Aeginetae, quem post Olympiadem LX floruisse arbitrantur, signa duriora et Tuscanicis proxima fuisse; etiam Canachi Sicyonii, qui circa tempus bellorum Persicorum florebat, rigidiora quam vt veritatem imitentur; deinde Hegiam Critiamque, Canachi aequales, ob accuratam quidem sed seueriorem lineamentorum descriptionem atque neruos et toros austerius indicatos notari; iam minus rigida fuisse Calamidus, artificis egregii mox insecti, signa; atque molliora omnibus supradictis Myronem fecisse, Phidiae aequalem, neque ta-

men etiam haec satis ad veritatem adducta r), ita vt, quam tenaciter arti etiam florentissimae priscus quidam rigor inhaeserit, appareat: quo magis observandum est, hunc ab antiquis nunquam reprehendi in Phidia. Sed quo pauciora sunt, quae hac ratione assequimur: eó plura scriptores recentiores altera illa via sibi commarare studuerunt, quae operibus ipsis, quorum auctores vel aetas saltem quae protulerit, probabiliter constitui possunt, historiam artis superstruit. Vtile sane et laudabile studium, nisi audacius interdum in eo grassata esset coniectandi licentia, tum certis antiquitatis sculptoribus stigmata adhaerentia ex arbitrio attribuens, tum etiam ea opera, quae ad certum auctorem nullomodo referri possunt, ita inter se connectens, vt seriem continuatam efficiant, quae interuallorum coniecturali quadam computatione annorum certum spatium expleuisse creditur. In quo coniectandi genere persaepe etiam speciem veritatis desidero s); idque omnino tum tantum admitterem, si vna fuisset in vniuersa Graecia artis disciplina, quae quum artem continuo studio excoleret, suum exemplum omnes simul artifices sequi cogeret, ita vt, quod illa forte inuenisset, id statim vbique antiquioris artificii loco substitueretur. Sed eiusmodi *μοναρχία* in omni Graecorum vita non erat, et ars variis locis

r) Coniunximus loca Quintilianii Inst. XII, 40. Ciceronis Bruto 48, 70. Luciani de rhet. praec. 9.

s) Si ex gr. Henr. Meyer Artis hist. I. p. 33. opus anaglyphum in puteali Capitolino tempore arcae Cypseli, Genium aereum in aedibus Barberinis Rhoeci Theodorique aeno, vetustum Minervae caput in Museo Florentino Dipoeni et Scyllidos temporibus attribuit, aram triquetram Dresdensensem similem putat operi caelato in throno Apollinis Amyclaei, truncum Minervae ibidem asseruatam Doryclidae Medontisque statuis, et quae plura eiusmodi vir de artis historia meritissimus eo loco *ὡς ἔπος σίπειν* hariolatur. Quodsi statuis hisce et anaglyphis tituli adessent, de plerisque longe aliter iudicatum iri, commonstrare possunt artis monumenta, quae in Boettigeri Amalthea T. III. tractantur.

multis modis gnaute ac sollerter, aut ignave et segniter, ex ingenio praesentium vel ex imitatione praeorum temporum facitabatur. Itaque, vt operam illam in disponendis artis operibus collocatam non abiciam, quin etiam vilem iudico et necessariam ad explendas historiae lacunas atque hiatus: fundamento tamen ponenda sunt praeter statuas aliquas iamdudum cognitae, quarum primos auctores certos et indubitatos tenemus, ea potissimum artis opera, quae nostris nobis temporibus rara fortuna Graecia ipsa obtulit. Ea enim, dico signa de Hecatompedo et templo Aeginaeo ablata, certis locis neque artis exercitatione nobilissimis, certis temporibus iisque insignem quendam artis gradum assecutis, publica auctoritate publicoque sumptu facta, quantopere, si doctrinae nostrae fundamenta circumspicias, ceteris omnibus praesent, superueniens quaeque aetas dilucidius perspiciet. Iam igitur vbi quaeritur quo gradu constitutam Phidias artem exceperit: duo tantum, quae id docere possint, equidem novi monumenta, statuas Aegineticas dico et Apollinis Canachei imitationes. Illas enim post bellum Salaminium factas esse, tum aedis, cuius in fastigiis positae erant, architecturae ratio, tum vestis sagittarii Persici in Paride diligenter repraesentata mihi quidem persuasere: hunc, inter Marathonium et Salaminium proelium Mileti erectum, in variis, quae supersunt, statuis et fragminibus, satis certis indiciis post alios mihi agnouisse videor t).

9. Ex quibus utrisque, quae arti his temporibus fuerint propria, facile cognoscitur: corpus humanum summo veritatis studio effectum, quod tamen studium in formis pulchrioribus seligendis non satis eruditum et in toris neruisque indicandis saepe nimium deprehenditur, facies contra oris e more prisco atque tetrico conformata, ita vt certa quidem indoles, quod negari non potest, ex eius figura eluceat, qua iuuenem a sene, masculum ab effeminato, deum ab homine

t) V. Kunstblatt. Nr. 16. 22 Febr. 1821.

homine dignoscere possis, sed, quae vultum mouent et variant, eo quod animum afficiunt et turbant, omnia adhuc semota haberentur et plane negligerentur. Nam *vultum variare atque animi sensus exprimere*. omnino inuentum erat in arte Graecorum statuaria admodum recens, quod Myroni adhuc aliquatenus defuisse scimus, quodque etiam in operibus quibusdam Phidia rectore factis aequi iudices desiderant. Id qui fieri potuerit apud populum cultissimum, sane mireris. Sed Graeci omnino corporum magis curiosi erant quam nostri homines populique recentiores, inter quos artis studium contraria via ab animi affectu in oculis et ore indicando paulatim transgressa est ad corporis membra pulchre et concinne conformanda. His adde, imagines deorum fuisse atque formas athletarum, in quibus ars tum maxime elaboraret: illas. vero priscam pietatem sanxisse, et vt immoto essent et seuiore vultu, etiam notionem, quae de deorum vita Graecis plerisque impressa erat, flagitasse: hi quibus lacertis, quo latere, qua crurum agilitate palmam meruerint, modo indicaueris, animi sensus exprimi haud interfuisse. Atque vides, vtramque et. idolorum et athletarum fabricam ab initio magis fuisse corporum quam animorum. Denique statuariam artem, in antiquitate regnantem, si cum pictura, apud nostros primum locum tenente comparaueris, facile intelliges, in illa plus valere corporum formas, hanc natura sua magis allicere ad animi sensus exprimendos: quo factum, vt etiam inter Graecos, quo tempore antiquus rigor adhuc ora heroum sculptorum obsederat, Polygnotus pictor ob mores hominum eximie repraesentatos laudem *ἡθρογὰρον* mereretur, quam ob rem Aristoteles hunc maxime artificem ad iuuentutem liberaliter instituendam et erudiendam commendat. Vnde etiam conicere libet, Phidiam e pingendi studio aliquantum profecisse et magnum fructum transtulisse ad statuariam artem prouehendam. At fortasse iis, quae supra de sculptoribus ante Phidiam ex ipsorum operibus colligebamus, obmouebitur, ea valere tantum de Peloponnesiis artificibus, non item de

Atticis. Sed et horum arti non mitiorem fuisse et molliorem indolem, quae de Critia et Hegia relata legimus, commonstrant: si quis autem anaglypha in aede Thesei opposuerit, quae quidem corporum numerosa conformatione, motusque tum vigore et vehementia, tum facilitate et gratia, ac vestibus egregie ad veritatem expressis, oris denique humani veriore et viuiddiore descriptione ab opere Parthenonis minimo interuallo distant, ea vix dubito quin aliquot annis post templum inchoatum, quum Phidiâca artis disciplina iam emersisset, sculpta dicam *u*).

10. Igitur transeundum est ad alteram quaestionis nostrae partem, in qua quaeritur, quid Phidiae immortale ingenium in arte profecerit et quibus maxime inuentis priores omnes tanto interuallo post se reliquerit. Id vego contineri putauerim hisce. Primum plane sese exsoluisse putandus est regula systematis illius, quo prisca ars maxime in deorum imaginibus tenebatur, et quo, quominus naturae veritatem libere imitaretur, summopere impedita erat. Id quum in statuâ Aegineticis cum studio veritatis contendere et luctari quodammodo videamus, ita vt a plurimis corporis partibus iam recesserit, alias tamen adhuc obtineat: abest iam et faecessiuit totum a statuâ Hecatompedi, quas Phidiae opera censere licet, et pericit ea formae veritas, quam fore vt ars assequeretur, signa Aeginetica non multo tempore ante promiserant. Haec autem veritas haud propius abest ab altero quodam systemate, quod post haec in

---

*u*) Vidi operis in metopis atque zophoro caelati ectypa in Museo Britannico, et cum priores tempus valde obscurauerit, in hoc multa integra relicta sunt, in quibus tamen nihil rigidi et tumidi occurrit, sed omnia vitae succo plena et quae animum iucundo affectu perfundant. Nam in iis iam omnia viuunt ac mouentur, quae in signis Aegineticis adhuc nescio quae vis deuinxit ac continet. Bene praesentantur fragmenta quaedam operis in Theseo sculpto Eduardus Dodwell: Alcuni Bassirilievi della Grecia Roma 1812. Tb. V et VI, et in Itinerario.

artis disciplinam introductum, et ab hominibus nostri aevi nomine *idealis styli* magnopere concelebratum est, quanquam id artis vitae veroque eius flori fortasse magis nocuit quam profuit. Nam et id formas quasdam atque numeros et rationes inuenit et condidit et sanxit quodammodo, quae pulciores credebantur quam quas natura rerum vsquam offerret, itaque iis, quos eo pulcritudinis genere ornatos volebat, sicut diis suis Epicurus, non corpus sed quasi corpus, non sanguinem sed quasi sanguinem impertiebat x). At profecto pulcrum illud, quod in rerum natura non est, nihil est, neque quidquam ea pulcius ne cogitari quidem potest. Sed opus est ut, antequam naturam imiteris, quibus modis natura cuiusuis rei in diuersas partes agatur, intellexeris. Primum natura omnium rerum eum habet finem idque sibi propositum, ut se ipsa quam perfectissimam et absolutam efficiat: at opponuntur permulta, quae eam ad eum statum peruenire, aut, si momento temporis alligerit, in eo perseuerare plerumque vetent. Quae inde oriuntur in quaui re naturali infirma et morbosa, cogitatione amouenda sunt, ut veritas naturae, quae quidem eo nomine appellari digna sit, sincera et intemerata cognoscatur; amouentur autem vel intimae scientiae ope, vel sensus cuiusdam naturalis, quo cum natura ipsi coniuncti eam sentimus et intelligimus y). Is quum Graecae nationi eximius inesset, idemque cum omnibus animi viribus Pericleo tempore maxime excultus et eruditus esset: consentaneum erat ut hoc potissimum, quid naturae omnium rerum causae et origini in hominum forma creanda propositum fuerit, sentirent et repraesentare auderent artifices. Atqui scimus Phidiam naturae accurate etiam in minimis

x) Winckelmann. Tratt. prelim. 4. §. 15. Art. Historia V, 1. §. 18.

y) Cf. quae de eadem re egregie disputauit Ludovicus Schorn de studiis Graecorum artificum p. 51. Sed omnium optime errores etiam hic impugnatos profligasse Baronem de Rumohr, nunc video (duobus fere annis, postquam supra posita scripseram), dum Italicas eius Lucubrations lego.

rebus imitandae fuisse studiosissimum, ita vt pisces, quos fecerat, si aquam admoueris, nataturos crederes z), et apem et cicadam et muscam, harum bestiarum verissimas imagines, expresserit a). In statu is autem Hecatompedi viuuit vigetque ea natura, quae etiam in fragmentis miserisque frustis assidue spectantem inducit, vt non saxa sed viua corpora intueri sibi videatur. Sed eadem, quantum pulcritudinem sponte assequatur infucatus ille et ingenuus naturae amor, perspicue docuere. Nihil profecto grandius pectore et humeris viri (Neptuni, vt cum aliis credo), quod est inter fragmenta e fastigio occidentem spectante deprompta, quanquam musculorum toros venasque viuidiore motu inflatas ad naturam accurate artifex expressit, neque quidquam ibi inueneris, quo is naturae antecellere aut eam deuitare voluerit. Nihil iucundius ad oculos accidit, quam Ilissi quem vocant figura, quanquam ossa thoracis, motu corporis poscente, magis promota sunt quam sequioris artis regulas admisisse crediderim. Nihil denique in summa simplicitate et veritate venustius quam mulierum duarum, sedentis alterius, alterius in sinu huius recubantis, imagines. Quid plura, quum quisque, qui ea marmora studiose contemplatus fuerit, fateri cogatur, iis formam vere humanam sed absolutam tamen quodammodo et perfectam repraesentari b).

11. At quanquam idealis illa, quae dicitur et in meris formis lineisque esse creditur, pulcritudo post Phidiam demum inuenta esse videtur, tamen is artifex prae ceteris omnibus *ideis*, quo vocabulo quamuis obscuro hic vti liceat, mouebatur, easque operibus suis

z) Martial. Epigr. 3, 35. Cf. Iuuenalis verba: Phidiacum *viuebat* ebur.

a) Iuliani Epist. VIII. p. 377 a. Spanh.

b) Quatremère-de-Quincy, *Lettres à Canova* p. 147 sqq., hinc *veritatem idealem*, quam vocat, in Phidia praecipuam fuisse intelligi dicit. Iam Polycletem *humanæ formae decorem addidisse supra verum*, Quintilianus dicit Inst. XII, 10. Sed cum iam in antiquitate fuerint, vt verbis barbaris vtat, et *idealistae et naturalistae*, Quintilianus illorum iudicia reddit.

demonstrabat. Quo etiam magis distat ab artificibus prioris aevi, quam perfectiore naturae imitatione. Etenim si Minervam Aegine-  
ticam et Canachi Apollinem, quorum supra mentionem loci, oculis  
animos intuitos, ex quo animi affectu eae imagines prodierint,  
coniectura et diuinatione assequi studemus: intelligimus liberio-  
rem in eo affectu motum fuisse nullum, sed traditam quandam per disci-  
plinam dei formam menti artificis infixam haesisse, ita ut eam vel  
plane integram vel in quibusdam auctam et emendatam simplice  
pioque studio redderet. Contra eum animi motum, qui ex intimo  
pectore, quas pulchritudinis, maiestatis, dignitatis notiones natura  
hominibus ingenuerit, vehemientiore concitatione proferat, ita ut eae  
in viuas species abeant et oculis quasi somniantis obuersentur, cum  
fuisse in Phidia ab antiquis saepius obseruatum est. Quod inter  
recentiores Raphael Sanctius de se ipse dixit, idem fere de Phi-  
dia Cicero c), *eius menti insedissee speciem pulchritudinis eximia[m]  
quandam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem  
artem et manum dirigeret.* Et ut scriptores veteres perhibebant d),  
Phidias, quem Quintilianus diis effingendis meliorem artificem  
dicit quam hominibus, ἐνΘουσιῶν opera faciebat, omnibus animi  
viribus supra quam crederes intentis, ita ut quae sanctissima animus  
senserat et quae pulcherrima sensus conceperat, ea sese inuicem  
mutua quasi caritate complecterentur et coirent. Quo etiam spectare  
videtur, quod Phidias Panaeno fratri, sciscitanti, vnde Iouis Olym-  
pii formam hauserit, dixisse fertur, sese commotum fuisse diuini  
vatis versibus:

ἦ καὶ κτανέησι ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·  
ἀμβρόσια δ' ἄρα χεῖται ἐπερρώσαντο ἀνακτος  
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὀλυμπον e).

c) Orator 2, 9. Sed velim Ciceronem non ex mente idealistarum explices.

d) Suidas s. v. Ἰακωβὸς ἱατρός.

e) Ad Strabonem VIII. p. 354. cf. Polyb. Exc. L, XXX, 15, 4. 3. Plu-  
tarch. Paull. Aemil. 28. Valer. Max. III, 7, ext. 4.



Quod a Phidīa ideo dictum puto, ut ipsum ideae summi numinis poetice conceptae formam convenientem vi animi interna adaequasse, intelligeretur. Nam versibus illis conformatio et figura oris atque corporis, si quae de caesarie et superciliis, partibus non primariis, dicuntur, exceperis, haud describitur, sed significatur notio summi numinis benigne annuentis, *καταρεύοντος*, tanta tamen vi et maiestate ut nutu quamvis placido Olympus contremiscat. Ea notio cum Phidiae in animo hoc maxime loco poetae suscitata esset, is non amplius in antiquiorum sculptorum operibus, quae delubrorum sanctimonia consecrauerat, quo ore ii Iouem repraesentauerint, quaesiuī, sed naturali ideae atque formae nexu ductus, ipsum deum, quem mente conceperat, oculis sibi cernere visus est, eumque ita repraesentauit, ut vniuersa Graecorum natio Olympiae Iouem velut praesentem intueretur *f*).

12. Iam si concesseris eam idearum vere diuinarum absolutio-  
nem eamque naturae ingenuam imitationem in Phidia intime con-  
iunctas fuisse *g*): vix *gratia*, quam Graeci *χάριν* dixere, ab ope-  
ribus eius abesse poterat. Quam tamen sunt qui et nunc summo  
artifici inuideant: quanquam Plutarchus, quae is fecerit, *opere et*  
*gratia* aemulum haud pati affirmat *h*), et quae ad nostra tempora  
peruenere, proba quadam et simplice gratia omnibus postea factis  
praestare censentur. Ea gratia isque lepor inest statuae viri recu-  
bantis, quem alii Theseum, alii Herculem Idaeum appellare ma-

*f*) Livius XXXV, 28. cf. Himerium in Anatol. in Photii Bibliotheca p. 613. Hoeschel. et quae ad laudem Iouis Olympii congegissit T. H. ad Luciani Somnium c. 8. T. I. p. 11.

*g*) Τὸ μεγαλεῖον καὶ τὸ ἀκριβὲς ἔμα, Demetr. de elocut. §. 14.

*h*) Pericle I. l. Cf. Dio Chrysost. Or. 12. p. 209. de Ioue Olympio: τοσοῦτο Φῶς καὶ τοσαύτη χάρις ἔπασσιν ἀπὸ τῆς τέχνης. Dionysius Hal., de Isocrate 3., Polycleti et Phidiae arti τὸ σεμνὸν καὶ μεγάλου τεχνον καὶ ἀξιοματικὸν tribuit, Callimachi et Calamidō operibus τὴν λεπτότητα et χάριν.

lunt, miraque in membrorum compositione et motu suauitas atque lenitas, quae notionem suggerit vitae integritate sua ac valetudine cum voluptate quadam fruētis. Eodem modo affectus abibis a statuis mulierum duarum, de quibus supra locutus sum, denique ab omnibus tum signis tum anaglyphis, quae ex Hecatompedo in Museum Britannicum delata sunt. Nam artificiosa elegantia atque ille de se sollicitus decor, qui in operibus priscae artis ad Phidiae usque aetatem observatur, iam plane absunt; magnaque et memorabili temporum mutatione, cuius etiam in victu cultuque quotidiano vestigia deprehenduntur, in illius locum successit negligentia quaedam minutarum elegantiarum incuriosa, sed eadem omni honesti et pulcri diligens atque generosae indolis documentum. Cuius rei exemplum suppeditat etiam vestitus. Quem enim cultum et ornatum artifices priores tantopere expetuerant et adamauerant, plicas illas recta descendentes, inter se paribus spatiis disiunctas, concinne dispositas: eum reliquit quidem fere intactum Phidias, ubi caeremoniarum sanctimonia iubebatur, in vestitu virginum Panathenaiarum, sed in ceteris ab eo vbiuis discessit *i*). Itaque in tunicis et chlamydibus iuuenum, et in indumentis atque amictis dearum, in quibus ingenio et arti indulgere liberum erat, nihil secutus est nisi naturae veritatem et eam, quae hinc fluit, venustatem, hasque tanta sollertia assecutus est, ut nunquam vestes marmore melius expressas esse fatendum videatur. Namque tunicae, quibus duarum illae dearum statuae indutae sunt, reuera corpus neque tegunt, neque aperto consilio nudant, sed faciunt ut grandes atque pulchrae membrorum formae etiam grandiores et pulciores appareant. Nihil omnino neque harum nec ceterarum figurarum cultui inest affectati, nihil ambitiosi et quo oculos spectantium allicere velle videantur, neque videre licet mulieres ab omni placendi cura et studio alieniores quam Phidiae deas. Valet autem id de vniuersa Phidiae

---

*i*) Cf. Quatremère - de - Quincy I. I. p. 12.

arte. Etenim nihil ea *effectus* causa, vt nunc dicere solent, composuit, sed naturae instar suarum ipsa virium suaeque magnitudinis inscia et incuriosa ab omni iactantia quam longissime abest. Cuius iactantiae crimen minus vitasse videntur multi posteriorum artificum, qui operibus suis, quid possent, quid valerent, demonstrare, et spectatorem non dei magis, quem fecere, quam ipsorum, qui fecere, admiratione percellere voluere. Quo factum vt cum muscutorum et ossium, quae quidem in corporis superficie emicant, scientia pollerent, eam ambitioso modo ostenderent, sed interdum etiam nimio earum rerum studio pellecti veram naturam in quibusdam adulterarent. Ab hac reprehensione plane liber est Phidias, et in hoc solo cum summa arte summa simplicitas. Sed eam simplicitatem verae sinceraeque Gratiae haudquaquam esse oppositam, nemo melius intellexerat, quam Jo. Winckelmann *k*); qui quae de antiquiore illa et sublimiore Gratia dicit, omnia fere in Phidiae opera cadere nunc intelligi potest. Quae si, vt poeta inter nostrates dixit, prodire non potest, nisi vi expleta quodammodo et ad satietatem sui perducta, facile perspicitur, cur maxime in Phidiae operibus regnauerit. Nam is, quum priores omnes artifices in deorum robore exhibendo sibi satisfacere non possent, potentiam et magnitudinem sine detrimento eius, quae diis conuenit, tranquillitatis commonstrauit. Quam ob rem nolim, imagines deorum, quas Phidias posuit, nimis seueras ac tristes tibi fingas, quanquam concedo seueriorem paullo in iis fuisse artem quam in minoribus operibus, in quibus leuam interdum risisse, dicere aliquis inter antiquos poterat. Sed credas, velim, circa genas et labra, Louis Olympii, quem ipso Phidia auctore Gratia cum Iunone coniunxit *l*), iam mite illud et mansuetum lusisse, quod in optimis

*k*) V. locum egregium, sed perturbatiorem Art. Hist. VIII, 2, 13 sqq. Opp. T. V. p. 245.

*l*) Paus. V, 11, 3.

optimis quibusque Iulius dei imaginibus maxime observatur. Quid quod omnis ira omnisque terror eo vsque euauerat, vt clementem atque propitium pacis et concordiae deum hunc Olympium nunquam non existimauerint antiqui *m*). Neque tamen negabitur, fuisse etiam gratiam, fuisse Veneres, quas Phidias posteriori aevo sectandas reliquerit, et quibus illius opera caruisse concedendum sit. Certe subdolos ille ac valer Veneris risus, Bacchi os inexplebilem cupidinem spirans, omnes denique animi motus tum mollitiae tum vehementia animum frangentes et turbantes etiam mihi post Phidiae demum aetatem ab artificibus Graecis studiose appetiti esse videntur, ita vt, cum apud priores ἡθός, quod animo inhaeret, maximi momenti esset, posteriores magis τὸ παθητικὸν sectarentur, eodem rerum ordine et nexu, quo Phrygia harmonia et Lydia post Doricam apud Graecos inualuerunt, et Euripides in mollioribus affectibus describendis diligens post Sophoclem scenam occupauit. Quid quod omnis antiquioris vitae, etiam inter Athenienses, lex et norma, sicut multa docent, etiamsi animus affectibus commoueretur, hos premere, et inconcussam semper vel leniter agitatam praestare faciem iubebat, quae lex cum inter Periclis et Alcibiadis tempora sublata esset, etiam artium tota ratio et natura vehementer immutata est.

13. Hucusque quid Phidiacae arti proprium fuerit et peculiare, commonstrare voluimus. Sed vereor ne inueniantur, qui multa ex iis errore niti dicant, quoniam statuas, metopas, zophorum denique Hecatompedi, omnia tempore Phidiae eoque auctore facta esse, ne dubitatione quidem addita, statuerimus; quum illi contra, vt tum e libris *n*), tum e familiari sermone innotuit, ea disiunctis temporibus facta et statuas certe temporibus Phidiae multum poste-

*m*) Εὐρημικὸν καὶ πανταχοῦ πρῶτον atque ἡμερον καὶ σεμνὸν dicit Dio Chrysost. Or. 12. p. 215.

*n*) V. Aloysii Hirt. Vir. Cel. Hist. Architecturae T. II. p. 14.

riores dicant. At cur hoc? Nimirum ob insignem harum pulcritudinem et venustatem, quam Phidiam iam assecutum esse sibi persuadere non possunt. Iam vides, hic pugnare consensum totius antiquitatis, quae nullum in arte honorem Phidiae denegavit, cum receptis quibusdam sed parum, ut mihi videtur, fundatis recentiorum de artis progressu opinionibus, neque, vtri assensus debeatur, diu incertus haerebis. Contra omne in Hecatompedo opus sculptum ante belli Peloponnesiaci exordium plane fuisse absolutum, ut putemus omnia suadent, cum durante bello quam tarde omnia opera publica processerint, Erechthei templi historia doceat, et postea ad Praxitelis usque aetatem Athenis defuerint artifices indigenae tantoque operi pares, Praxitelis autem ingenium ab eo opere alienum esse videatur. Sed scriptor egregius, quem modo indicaui, Lycurgo quaestore statuas illas factas putat, cum ciuitas denuo ditata plura aedificia Pericle administrante nondum absoluta ad finem perducii iussisset. Pleraque tamen, quae tum facta sunt, magis ad utilitatem, quam ad splendorem urbis augendum spectant; neque si Lycurgus demum Hecatompedon absoluisset, id omissum esset in Populiscito, quod in eius honorem factum seruauit liber, qui inter Plutarcheos fertur, et quo omnia opera publica, quaecumque Lycurgus vel fecit vel perfecit, diligenter enumerantur. Denique Plutarchus o) cum in operibus Periclis nihil admirabilius dicat quam breue tempus quo perfecta sint, nam quorum quidque multis aetatibus multorumque artificum continuata opera effectum iri exspectare posses, ea omnia vno viro rempublicam administrante confecta esse p): dubius haerere non potes, quin is etiam statuas in Hecatompedo Pericle epistata additas putauerit. Sed obmouetur fabricae inter

o) Pericle c. 13.

p) Ita Plutarch. Per. 13. ἂν γὰρ ἕκαστον ᾤοντο πολλὰς διοδοχαῖς καὶ ἡλικίαις μόλις ἐπὶ τέλους ἀφίξεισθαι, τὰ πάντα μῖς ἀκμῆ πολιτείας ἐλάμβανε τὴν συντέλειαν.

statuas et anaglypha in Hecatompædo discrimen, ex quo, cum haec eodem tempore, quo aedes cui adhaerent, facta esse necesse sit, illas alio tempore sculptas esse appareat. Audio, et agnosco hoc discrimen. Sed fortasse alia huius ratio reddi potest. Cum enim Phidias emersisset, multi sine dubio Athenis supererant artifices e secta atque disciplina Hegiae Critiaeque, inter quos ipsum fuisse Alcamenem supra conieci. Horum hominum operam Phidias adspernari vix poterat, maximeque ea vsus esse videtur in eo sculpturae genere, quod architectonicum vocare possis. Hinc euenit, vt sicca illa et inuenusta corporum delincandorum ratio, propter quam illi duo artifices notantur, etiam in anaglyphis metoparum, quibus Centaurorum et Lapitharum singularia certamina exhibentur, non raro deprehendatur. Neque motus membrorum in his anaglyphis vbique ad viuum expressi, sed in nonnullis molesti et odiosiores, in aliis ob nimiam quandam et inanem contentionem pene ridiculi sunt. Quaequam etiam haec partim e consilio et fine horum operum excusari possunt. Pompam autem Panathenaicam in zophoro cellae exhibitam, si vniuersi operis compositionem spectas, non negabis eodem ingenio dignam esse, quod fastigia signis exornauit; si singula quaeque examinaueris, permulta inuenies summa artis facilitate et ingenua pulcritudine illis non inferiora, quaedam tamen etiam negligentius facta et rudi priscorum modo tractata *g*).

---

*g*) Vide quae carpuntur in Goethii libro annali: *Kunst und Alterthum*, et a scriptore Anglo de marmoribus Elginianis, Lawrence. Sed cavendum, ne artificio vitio vertamus, vt ignorance regularum optacarum facta, quae id genus anaglyphi, quo pompa exhibita est, inter antiquos aliter fieri vetabat. Verum est, femora iuuenum equitantium apparere longiora, quam e latere visa in rerum natura apparere possint, sed cum prominere quidquam eius sculpturae leui non patitur, omnem corporum numerum turbasset artifex, si femora breuiora facere instituisset.

Sed iam intelligitur, huius rei rationem non in Phidia quaerendam esse, sed in dissimilitudine operarum ab eo adhibitarum, quae nunquam maior esse potuit, quam aequo tantam in arte mutationem experto.

14. Ea mutatio qualis fuerit, cum in superioribus iam satis indicatum esse videatur, quanquam non ignoro me largam commentandi materiam vix delibasse: iam hoc vnum adhuc quaeri potest, quae tandem tantae huius mutationis praeter ipsum Phidiae ingenium statuenda sit causa et origo. Perdifficilis profecto et perobscura quaestio. In promptu quidem est dicere de rara temporum fortuna, quae Athenas Persarum praeda et sociorum stipe ditatas ad rem naualem, metallicam, mercatoriam strenue et industrie agendam compulerit, vnde commoda in studia artium liberalium defluere consentaneum. Nihilominus res externae et ab animo hominum alienae quomodo huic nouas vires impertire queant, non intelligo: quae autem ex animo hominum orta et progressa sunt, eorum inter se rationem, utcumque volueris, inuertere licet. Nempe dicere licet, eandem populi Attici indolem, qua artes tam laeta incrementa cepere, effecisse ut Athenienses re. nauali excellerent et Persas deuincerent. Neque hoc magis falsum quam illud, sed vtrumque aequè falsum et verum. Nam si ex industria opificiorum ars naturali quodam nexu cresceret, id vbiuis fieret, quod non fieri in aprico est, ita ut huius rei causa in illa sita esse non possit. Ita etiam, qui de arte Graecanica vniuersa, quare tam praestans et perfecta fuerit, sciscitantes sibi respondent, caeli temperiem id effecisse et rerum publicarum libertatem et sacrorum constitutionem: ii mihi quidem fere nihil dicere videntur. Nam ut de caeli terraeque habitu hic taceam, in antiquissima rerum publicarum atque sacrarum apud Graecos constitutione, sicut in primis linguae originibus, iam conspicitur animus decoris, iusti numeri, pulcrarum rationum amantissimus, ita ut inde a studio pul-

critudinis per multa in vita publica atque sacris Graecorum derivare possis. Quem igitur latere potest, animi virium aliam ab alia non recte deduci, sed omnium conformationem ab una communi origine provenire, ita ut nexus quidem earum inter se et necessaria quaedam coniunctio indagari, sed si de ultima ratione quaeris, nihil responderi possit nisi, ita tulisse naturam populi Graeci sortemque diivinitus constitutum, ut artes summa solertia exerceret. Sed ut ad id, quod hic explicandum est, redeamus, causae, quae, ut hoc potissimum tempore ars summopere floreret, effecere, tum in naturalibus illis legibus, quibus cursus artis excolendae dirigitur, tum in singulari nationis Graecae et partium eius indole quaeri possunt. Quid primum leges illae huc faciunt, iam ex iis, quae supra dicta sunt, intelligi potest. Consentaneum erat, artem, cum eo peruenisset, ut deum quemque pro ea, quae ipsi inesse credebatur, indole veneranda quadam specie poneret, victorumque in sacris ludis membra ad viuum exprimeret, sibi ipsam per aliquantum temporis sufficere, et in eo gradu, qui iam optimus videri posset, nisi sublimioris spes effulsisset, persistere, donec magna quadam subito mutatione facta exurgeret et altius euolaret. Deinde autem nihil ad artem euehendam grauius momentum attulit, quam quod, ut in communibus rerum publicarum in Graecia studiis, ita etiam in artificio Athenae tum principatum tenere coeperunt, et ars, ut ita dicam, tum primum *Attica* facta est. Nam quanquam etiam ante Phidiam ars statuaria et sculptura inter Athenienses studiose colebatur: nihil tamen erat, quo ii officinis in Peloponneso ceteraque Graecia constitutis magnopere excellerent et characterem vere Atticum demonstrarent, quia ipsius ingenii Attici maturitas nondum venerat. Sicut autem e chororum Bacchicorum per omnem Graeciam celebratorum canticis dramatica tragoedia apud solos fere creuit Athenienses: ita e statuis deorum vbiuis Graeciae positae Phidias liberiore et audaciore suae civitatis



ingenio instinctus imagines illas, quae summas ideas exaequabant, protulit. Quid enim? nonne in arte Phidiaca eadem conspicitur indoles, quae etiam in conditoribus poeseos scriptioaisque pedestris apud Atticos eminebat, eadem veritatis forma, eadem cum simplicitate gratia et in maiestate incunditas? Eam indolem tum haud dubie spirabat omnis Atheniensium vita, ubi ad altiora et pulchriora dirigebatur, antequam dignitate et decore sublatis turbida tantum mobilitas et vana leuitas atque cupiditatis impotentia relictæ sunt. Namque indolem numen, quod Graecæ nationis fato praesidebat, a longinquo inde tempore conformasse prouidoque consilio destinasse videtur, ne artibus ab vniuerso populo studiose cultis summus honor et laetissimus flos deesset.

---

---

DE  
SIGNIS OLIM IN POSTICO  
PARTHENONIS SIVE HECATOMPEDI  
TEMPLI FASTIGIO POSITIS.

COMMENTATIO  
C. ODOFR. MUELLERI,

RECITATA IN CONSESSU SOC. REG. D. XIV. JANUARIJ A. MDCCCXXVII.

---

1. **A**rgumentum, quod primum in his consessibus illustrandum mihi sumseram, Phidiae artificis vitam, nondum plane derelicturus iam de eo huius viri opere agam, cuius etiam nunc plurima supersunt fragmina aliaque ad memoriam eius redintegrandam subsidia. Loquor de signis marmoreis, quae in occidentali siue postico Parthenonis siue Hecatompedi templi fastigio collocata erant, atque, ut fert opinio a plerisque recepta et nuper etiam a me defensa *a*), ex officina Phidiae prodierant. Quare autem nunc de posteriore solo fastigio agere velim, haec causa est, quod signorum in hoc positorum multo plenior notitia nunc potest acquiri quam ceterorum, ita ut consilii, quo diuinus artifex ea disposuerit, et cogitationum, quae tum in animo eius versabantur, probabilis ratio adhuc reddi possit, quod etiam in antici fastigii imaginibus fieri posse despero.

---

*a*) Commentatio de Phidiae vita II. §. 13.

2. Antequam autem, quod primum huius commentationis argumentum est, de consilio et cogitationibus, quibus Phidias ductus deorum heroumque numerum quendam eo loco composuit, disseram, necesse est, ut quibus e fontibus accuratior horum signorum notitia hauriatur, breuiter indicem. Et inter antiquos quidem vnus *Pausanias* de argumento totius compositionis duo verba, de singulis imaginibus nihil dicit *b*). Inter recentiores, qui peregrinando Athenas deuenere, *Iacobus Sponius* a. 1676. haec signa vidit, et primus, ita ut agnosci possent, descripsit, sed cum festinantius in hac re versatum esse, plura sunt quae arguant *c*). Maximi autem aestimanda est delineatio harum imaginum, quam eodem fere tempore (nam annus non satis constat) Legatus Franco-Gallicus, *Marchio Nointelienis*, a pictore Belga, *Carey*, perfici curauit, qua quanquam singulorum signorum mirabile artificium omnino non exprimitur, nihil tamen ad compositionem totius operis cognoscendam plus facit. Adhuc enim supererant, ut ex schedis his *Nointelianis* apparet, quae in Bibliotheca Regia Parisiensi asseruantur, et iam bis editae sunt *d*), in fastigio occidentali, de quo agimus, signa antiqua paene omnia *e*), licet truncata pleraque et capitibus aliisque membris spoliata *f*). Sed cum paucis annis post, p. C. 1687, op-

*b*) I, 24, 5.

*c*) V. Spon Voyage T. II. p. 141. Ex Sponii opinione fastigium occidentale Minervae natales repraesentat (*concerne la naissance de Minerve*), quod non dubito quin non nisi e *Pausania* suo hauserit. Quae *Pallas* est, eam *Victoriam* appellat, *Victoriam* contra *Palladem*. Propterea tantum fidei Sponio ego non tribuerim, quantum nuper *Leakius*, Vir egregius, in *Topographia Athenarum* tribuit.

*d*) In *Stuarti Antiqq. Ath.* T. IV. (eadem tabulae insunt operi: *The Elgin Marbles*) et *Leakii Topographia Athenarum*.

*e*) Nullam enim lacunam esse, nisi vnam eamque non magnam versus angulum sinistram in excursu demonstrabitur.

*f*) Longe diuersa fuere fata signorum in fastigio orientali collocatorum. Nam quae hic pictor Belga delineauit, eadem etiam *Stuartus* vidit,

pugnatio illa Venetorum, Hecatompedo et maxime signis hisce fatalis, insecuta esset: Stuartus Anglus, qui cum Revettio (a. 1752 et 53) Hecatompedi quae supererant accurate delineavit, ex viginti duabus tres tantum statuas relictas invenit, quippe cum ceteris omnibus tum tormenta Venetorum tum studium auferendorum, quibus vis belli pepercerat, interitum attulissent. Comes *Elginiensis* ex his tribus simulacris vnum tantum, quod *Ilissi fluvii* habetur, abstulit, sed praeter hoc ruderibus templi effossis sex fragmina signorum hac olim parte collocatorum invenit eaque in Museum Britannicum transportavit g), quae quo referenda sint, ex accurata eorum cum adumbratione pictoris Belgae comparatione satis intelligi potest.

3. Cum operam singulorum signorum ex monimentis et subsidiis hisce describendorum in appendicem huius commentationis reiecerim, siquidem locum eius descriptionis lineamenta, quae adiunxi et quibus etiam fragmenta Musei Britannici indicantur, explere possunt: statim ad caput rei perveniamus i. e. ad argumentum, quod his simulacris contineatur. Videmus sub fastigii culmen virum stantem, cuius membra motum quandam vehementiorem indicant; adstat virago, cuius aegis Minervam significat, ad equos duos currum trahentes conversa; vtrumque sequuntur viri, feminae, pueri puellaeque tum stantes, tum sedentes recubantesue. Iam Pausanias nos docet, ea quae in antico fastigio posita erant, ad Minervae natales spectare, quae in postico, certamen Neptuni cum Minerva de terra

---

vidit, eademque omnia per *Elginiensem* Comitem in Museum Britannicum translata sunt. Huic igitur templi parti, quae iam antea misere habita erat, Venetorum tormenta et occupatio nihil nocuerunt, quae alteri tanto fuere detrimento. Miror diversa narrantem *Leakium* l. l. p. LXXXVIII.

g) Ibi *Ilissus* inter *Elginiana* n. 70., cetera fragmina n. 64. 69. 73. 75. 76. 118. asservantur.

Attica repraesentare *h*). Atqui Pausaniam posticum fastigium id dicere, quod occidentem spectat, quanquam de ea re plures viri docti addubitarunt, luculenter nuper demonstravit vir doctissimus idem atque cautissimus, Reuvens *i*). Hæc igitur certamen illud exhibebatur. Quæ illud fuerit, quanquam omnibus notum existimo, tamen verbis quibusdam de genuina fabulae forma monendum. Sicut antiquiores narrant, prior Neptunus, post eum Minerva ad terram Atticam accedunt eamque occupant, cuius rei signa ille fontem salsum, qui *Ψάλασσα Ξεραχθής* dicebatur, ex acropoli elicit, hæc ibidem oleam plantat, simulque Cecropem antestatur. Postea lite instituta ius Minervæ potius habetur *k*). Vidit etiam Pausanias signa quædam in arce Athenarum,

*h*) Verba sunt I, 24, 5. *ἐς δὲ τὸν ναόν, ὃν Παρθενῶν ἀνομάζουσιν, ἐς τοῦτον εἰσιούσιν (introituris) ὅποσα ἐν τοῖς καλουμένοις ἀετοῖς κείται, πάντα ἐς τὴν Ἀθηνῶν ἔχει γένεσιν. τὰ δὲ ὀπισθεν ἢ Ποσειδῶνος πρὸς Ἀθηνῶν ἐστὶν ἕρις ὑπὲρ τῆς γῆς.* — *Ἐισιούσιν ὅποσα ἐν τοῖς ἀετοῖς κείται* hoc loco significat idem quod V, 40, 2. *τὰ ἔμπροσθεν ἐν τοῖς ἀετοῖς.*

*i*) De simulacris Parthenonis, in: *Classical Journal* Nr. 55. 56. Cf. *Antiquiteiten, een oudheidkundig Tijdschrift*, bezorgd door N. Westendorp en C. J. C. Reuvens. II, 2. *Oudheden door den Graaf van Elgin uit Griekenland medegebragt. Deerde Afdeeling* p. 68 sqq. Illa dissertatione opiniones contrarias Wilkinsii, Leakii, Weberi satis refutatas habes. Vas illud, quo Wilkinsius explicationem suam demonstrare conatus est, rectius explicuit post Leakium Millingen, *Ancient unedited Monuments* I. p. 25.

*k*) Princeps locus est Herodoti VIII, 55. *ἐλαίη τε καὶ Ψάλασσα τὰ λόγος παρ' Ἀθηναίων Ποσειδέωνά τε καὶ Ἀθηναίην ἑρίσαντας περὶ τῆς χώρης μαρτύρια θέσθαι.* Eadem Paus. I, 26, 6. 27, 2. Latius hanc famam persequitur Apollod. III, 14, 4. a quo in quibusdam discedit Callimach. ap. Schol. II. P, 54. Illustrauere hanc genuinam fabulae formam Heyne Observ. ad Apoll. I. l. p. 322., et Boettiger, *Amalth.* II. p. 310. Cf. *Creuzer Symb.* II. p. 640. *Equum tum a Neptuno creatum, fabulantur* Serv. ad *Virg. G.* I, 12. *Aen.* VIII, 128. *Lactant. ad Statii Theb.* XII, 632. *Dolendum, in tabula marmorea summi pre-*

quae Neptunum illum Elicium Minervamque oleam plantantem repraesentabant <sup>l)</sup>, atque notissimus est numus Atheniensis, deum deamque exhibens circa oleam illam primigeniam stantes <sup>m)</sup>.

4. Cum vero talem operis totius speciem et conformationem exspectantes ad lineas Nointelianas accedimus, iam magnis irretimur difficultatibus. Vix dubium esse potest, virum Minervae adstantem esse Neptunum, cum huius dei signum in hoc fastigio medio fere loco positum esse debuerit, atque simulacrum tantae magnitudinis intercidisse, ob spatii, quod nullum fere superest, angustias concedi non possit. Iam proclive dictu est, Neptunum, quippe qui vehementius moveri videtur, fonti eliciendo intentum atque in eum habitum formatum esse, quem describit Ovidius <sup>n)</sup>:

stare deum pelagi, longoque ferire tridente  
Aspera saxa facit, medioque e vulnere saxi  
Exsiluisse fretum, quo pignore vindicet urbem.

Verum ut concedamus, fontis salsi imaginem Phidiae ingenio placuisse, tum sine dubio etiam olea, qua Minerva vincebat, adesse debebat. At utriusque locus deest, nisi fortasse oleam inter crura Neptuni positam putas, quem locum valde incommodum puto, quamquam ex legibus artis antiquae eiusmodi parerga saepe compendiarie via denotari non ignoro. At fortasse Neptunus, antequam a pictore Belga delinearetur, loco iam motus fuit, ita ut olim maius spatium inter Minervam et Neptunum intercesserit. Ut et hoc non abnuerim, mihi quidem ipse Minervae habitus eam opinionem, ex qua dii monumenta occupationis condere putantur, satis refutare

---

tii, quam illustravit *Heerenius* (V. nunc Opp. hist. T. III. p. 150.), narrationem de eo certamine ex antiquis epicis petitam, prooemio quodam excepto, periisse.

l) I, 24, 3.

m) Apud Meurs. Opp. T. II. Fort. Ath. p. 13. Millin. Galerie mythol. I. t. 37. n. 127. aliosque.

n) Met. VI, 74. De lectione loci alii satis monere.

videtur. Cur enim, si Neptuni signo summa oppositura est vel cum eo de iure occupationis litigat, a deo auersa et in aliam plane rem intenta fingitur? Mihi quidem mirum videretur, ni quis, dei utriusque habitum accurate intuens, eam sententiam continuo exploderet. Sed etiam ipsam litem contestatam et vel a duodecim diis vel a prisca Athenarum heroibus diiudicatam, hic exhiberi, vix placere poterit, cum ea lis nullam contineat actionem arti sculptoriae satis convenientem, atque signorum habitus et figura huic explicationi aequae ac priori refragetur.

5. Cum igitur hac ratione explicatio eius operis non processura videatur: videndum, quid misso tantisper Pausania ex ipsis simulacris attente spectatis effici possit. Minervae habitum spectanti, quid ea agat, vix dubium esse potest. Conuersa est ad equos duos, quos ferocitate exultantes *o*) sustinet et cursum eorum inhibet, quanquam iidem e curru, quem trahunt, a virgine et iuvene reguntur. Virgo enim, ut corporis totius et brachiorum maxime habitus commonstrat, habenas (*ἡνία* vel *ῥυτῆρας*) tenet easque magna contentione retrahit, iuuenis flagellum tractat: quae negotia etiam apud Homerum inter duos Molionidas distributa reperiuntur *p*). Dea autem manifesto equos alio loro vel fune ducit et regit, quam habenis, quas virgo illa tenet; puto eam *ῥυταγωγέα* tractasse, ex *ὑποχαλινιδίῳ* vel *ψαλίῳ* pendentem, quo etiam equum vectorium et frenatum equiso ducere solebat *q*). Eodemque in opere sculpto zophori Parthenonis equi iugales curru iuncti a iuvene praecedente et cursum eorum moderante duci videntur, quanquam et hi simul ab auriga habenis reguntur *r*). Quare autem ad equos

*o*) Zygomalas Naupliensis, litteris ad Martinum Crusium, Professorem Tubingensem a. 1575. datis, (Turco-Graecia I. VII. ep. 10. p. 430.) *ἵππους δύο φρουασσομένους* recte dicit.

*p*) Iliad. XXIII, 641.

*q*) V. Schneider ad Xenoph. Hipp. 7, 1.

*r*) V. Stuart Antt. Ath. V. II. C. 1. tb. 19.

regendos etiam auxilium deae necessarium sit, nulla potest esse causa, nisi quod aurigandi ars tum recens inuenta et ab ipsa dea hominibus demonstrata erat. Quod iam optime conuenit cum fabula in antiquitate celebratissima, Minervam primam equos ad currum iunxisse: in qua Athenienses, qui ob eam causam deam Ἰππείαν sive Ἰππείαν dicebant s), etiam Arcadas t) et Barcaeos u) atque Corinthios, qui Bellerophonti frenum a Minerva Chalinitide datum esse fabulabantur v), sibi assentientes habebant γ). Atque Athe-

s) Hoc nomine colebatur in Colono (Paus. I, 30, 4. Schol. Soph. Oed. Col. 711. Anecd. Bekker. p. 350.) et Acharnis (Pausan. I, 34, 3.), vbi signum Minervae in carceribus Circi positum pro ἀφέσει fuisse, e titulo seruato intellexit Boeckh. C. I. n. 474. Cf. Sophocl. Oed. Col. 1071. Harpocrat. et Suid. s. v. Ἰππεία Ἀθηνᾶ. Δαμῶσιππον vel δαμῶπῶλῶν dixerat deam Lamprocles, vt videtur, in cantico illo: Παλλάδα περσέπολιν. Cf. Schol. in Aristoph. Nub. 961. et in Aristid. p. 203. Frommel. Καλλιδιφρον Ἀθαναίαν dicit Euripides Hecuba 467. Κόρανε Κερροπίης ἵπποσσοῦ, Παλλάς ἀμήτωρ, Nenn. Dionys. XXXVII, 320. cf. Amaltheae Vol. III. p. 51.

t) Qui Minervam *Coriam*, Clitore cultam (Pausan. VIII, 21. cf. Creuzer. Symb. T. II. p. 761.), quadrigarum inuentricem dicebant. Cicero de N. D. III, 23. cf. Paus. VIII, 47, 1. Clitoriorum fabula fuit, quae Minervam Neptuni et Coryphes, Oceano natae, filiam, eamque quadrigas inuenisse, tradebat, vt ex loco Mnaseae ἐν Εὐρώπῃ apud Harpocrat. s. v. Ἰππεία Ἀθ. intelligitur. V. eundem Mnaseam ap. Lex. Coisl. in Bibl. Coisl. p. 604. apud Bekker. Anecd. p. 350., vbi pro Κόρης - Κορύφης scribendum videtur.

u) Qui ἵπποτροφίης quidem a Neptuno, τὸ ἡνιοχεῖν autem a Minerva se didicisse ferebant, Steph. Byz. s. v. Βάρκη et (qui minus accurate loquitur) Hesych. s. v. Βαρκαίους ὄχοις: vbi Mnaseae ἐν Διβύῃ auctor laudatur. Καὶ τὴν ἵππείαν δὲ Ἀθηνᾶν ἐν Διβύῃ γενέσθαι Φασί. Schol. Pind. P. IV, 4. De Barcaeorum, sicut Cyrenaeorum, curribus multi disputarunt. V. Boeckh Expl. Pind. P. IV. p. 268. Völcker de Iapet. p. 220.

x) V. Pind. O. XIII, 61. cf. Boeckhii Explic. et Völcker l. l. p. 185.

γ) In vniuersum Hymn. Homer. in Venerem v. 12. 13. de Minerva: πρώτη τέκτονας ἀνδρας ἐπιχθονίους ἐδίδαξε ποιῆσαι σατινας καὶ ἄρματα



nienses Erichthonium suum, quem inter antiquissimos terrae suae heroes habebant, a Minerva octoctum primum quadrigam iunxisse et aurigandi peritia Panathenaicis ludis, quos ipse constituerat, vississe ferebant z). Quae fabula ut orta sit scire, nostra nunc non multum refert, neque hoc loco expedio, utrum Erichthonius, de quo Danais epopea, Pindarus aliique a) idem narrant quod Homerus et Herodotus b) de Erechtheo, qui nomine Neptuni Erechthei in eadem aede, qua Minerva, colebatur c), ab origine ipse

ποικίλη χαλκή, vbi pro ἐπιχθ. Εριχθόνιον τ' conicere possis, nisi sermo scaber fieret.

- z) Tanquam ad explicanda nostra signa dicta esse videntur haec Aristidis, Panathenaico p. 184.: ἔτι δ' ἵππων ἀμιλλητηρίων καὶ πολεμιστηρίων ἔφηνεν ὀχήματα, καὶ ζεύγυσιν ἐν τῆδε τῆ γῆ πρώτος ἀνδρώπων ὁ τῆς θεῆς τῆς θεοῦ πάρεδρος ἄρμα τελειὸν σὺν τῆ θεῶ. Idem fere Aristid. in Minervam p. 22. Cf. Schol. in Aristid. p. 102. Frommel: Ἐρεχθεὺς πρώτος παρ' Ἀθηναῖς τὸ ἄρμα ἐδέξατο. Ceterum v. Virgil. Georg. III, 113. Varro ap. Serv. et Philargyr. ad l. Marm. Par. ep. 10. Hygin. P. A. II, 13. Eratosth. Catast. 13. Aelian. V. H. III, 38. Plin. N. H. VII, 56. Tertullian. de spectac. 9. Themistius Or. XIX. p. 485. Petav. Himerius Orat. II, 6. De signo deae, aede sacra et Panathenaeis s. Athenaeis constitutis v. Hellanic. ap. Harpocr. s. v. Παναθ. (13. p. 55. St.), Androtion ib. (p. 109. Lenz), Philochorus ap. Harpocr. κληφόροι et Schol. Aristoph. Vesp. 542. (p. 24. 25. Lenz), Apollod. III, 14, 6. Marm. Par. l. l. Hygin. l. l.
- a) V. Harpocr. s. v. ἀύροχθ. Pindar. Fragm. inc. 37. Bh. Eurip. Ion. 20 sq. 279 - 284. 1114. 1445. Danais, cuius quidam versus etiam nunc exstant, ut ex Apollod. II, 1, 4. intelligo, certamen Neptuni et Minerva de terra Argiva narravit, et huic, ut videtur, fabulae Atticae similes attexit. Propterea eam epopeam etiam in marmore Borgia (v. n. 9.) laudatam puto.
- b) Il. II, 547. cf. Od. VII, 81. Herod. VIII, 55. — Ἐρεχθεὺς ὁ Ἐριχθόνιος καλούμενος Schol. Il. l. l. Etymol. M. p. 371, 29.
- c) Hunc Minervae πάρεδρον (Aristid. Panathen. l. l.) fere omnes quidem Erechtheum dicunt, Apollodorus tamen III, 15, 1. Neptunum Ἐριχθόνιον.

Neptunus equester, qui per totam Graeciam colebatur, an daemon ab eo discretus et posteriore tempore cum eo confusus fuerit. Haec, ut dixi, ad rem nostram nihil fere faciunt, cum Phidiae ut cuius artificis ea fabulae forma, quae tum obtinebat, repraesentanda esset, quippe quae sola intelligi poterat. Igitur Erichthonius ab eo habebatur heros quidam Minervae dilectissimus atque in eius tutela educatus institutusque, qui Minervae iuventum, aurigandi artem, primus cum hominibus communicauerit. Iam nemo dubitare potest, quin iuuenis in equis regendis occupatus hic idem sit Erichthonius. Virgo autem eiusdem negotii, particeps Victoria est, quae in operibus antiquae artis persaepe cum virò victore curru insistentem lingitur *d*). Quod autem alis caret, nihil mirum, cum Athenis delubrum Ἀπτέρου Νίκης eiusque signum vetustum esset, quod iam Calamidem, Phidiae aequalem, imitatum esse Pausanias statuit *e*).

Haec autem omnia postquam iam scripta et in consessu Societatis nostrae recitata erant, contigit mihi, ut Scholia antiqua in Aelli Aristidis Panathenaicam orationem, quae Guilielmus Frömmel nuper edidit, peruoluens, locum Grammatici reperirem, de iisdem sine dubio, de quibus loquor, signis eadem plane, quae modo proposui, tradentis *f*). Haec sunt eius verba: *πάρεδρον τῆς Θεοῦ τὸν Ἐρεχθεῖα Φησὶ (Ἀριστείδης), ἐπειδὴ ἐν τῇ ἀκροπόλει, ὀπίσω αὐτῆς (τῆς Θεοῦ), γέγραπται ἄρμα ἐλαύρων, ὡς πρῶτον τοῦτο παρὰ τῆς Θεοῦ δεξιόμενος.* In his si vnum *γέγραπται* minus accurate dictum statuis, cetera omnia nostris signis egregie conueniunt. Sunt enim ea in acropoli, sunt in postico Parthenonis fastigio, *ὀπίσω τῆς Θεοῦ*, atque virum,

*d*) Cf. Caylus Antiq. T. IV. tb. 51. 3. Museum Worsleyanum T. I. p. 43. Millin. Vases T. I. tb. 24. cum explic. p. 46 sqq. Millingen Vases de Coghill tb. 1. cum explic. p. 3 sqq.

*e*) V. Pausan. V, 26, 5. cf. I, 22, 4. III, 15, 5.

*f*) Ad p. 184. C. p. 25. ed. Fromm. cf. p. 336.

dea ipsa adiuvante, currum ducentem in conspectu ponunt. Quid igitur apertius, quam iam antiquos de argumento horum signorum idem censuisse, quod equidem mihi censendum esse putavi.

6. Haec pro certo habentes iam ad cetera firmo gressu progredi poterimus, et cum, quid Pallas agat, dispectum sit, etiam qua in re Neptunus occupetur, inquirendum. Neptunum Minervae adversari atque cum ea contendere, tum Pausanias tum simulaëri habitus satis docet. Neque mirum, deum, cui ex fabula apud antiquos celebratissima *prima frementem fudit equum magno tellus percussa tridentis g*), magnopere mirari et obstupescere, cum ferociens animal, cui suum robur suumque impetum impertierat, Minervae vi victum iugoque adactum videat. Opponere quidem possis hoc, etiam Neptunum non tantum creatorem, sed etiam dominatorem equi habitum fuisse, quippe qui a Corinthiis *Δαμαίων* nomine colebatur *h*), et in ipsa Attica; in Coloneo pago, frenum, quo equi mansuescerent, primum confecisse dicebatur *i*). Attamen primum Neptuno a nullo scriptore accuratius curruum constructio tribuitur, de qua hic agitur *k*); deinde sculptor eodem iure, quo poeta,


---

g) Non nouicius videtur esse Pamphos ille, cuius locum Paus. VII, 21, 3. affert. Ceterum v. I. H. Voss. ad *Georg.* I, 12.

h) Pind. O. XIII, 66. Etiam Mantinenses, Neptuni Equestris gnauī cultores, narrabant, Semum suum, Halirrhothii (qui Neptunius heros est) filium, primum quadriga Olympia vicisse. Pind. O. XI, 72. cum comment. Boeckhii.

i) Sophocles *Oed. Col.* 706. cum Schol. Sed a Sophocle ad Erichthonii fabulam alludi, qui Neptuno auctore quadrigas iunxerit, error est. Ceterum iam apud Homerum (II. XXIII, 584.), notante Pausania, VII, 21, 3., Neptunus curulibus certaminibus praest; et *ἵππων ἀμνηστῆρα* appellat *Hymn.* XXIII, 5. Cf. Aristoph. *Equ.* 556. et libros Völckero de *Japet.* p. 154. laudatos.

k) Solum Scholium in Pind. P. IV, 1. Neptunum dicit Afros docuisse *τὴν τῶν ἀρμάτων κατὰ ζευξίν*; accuratius loqui videtur Mnaseas N. u. adductus.



*Minos.*  
 A  
*Cicops.*  
 B  
*Herc.*  
 C  
*Pandorus.*  
 D  
*Cypselon.*  
 E  
*Aglaurus.*  
 F  
*Victoria.*  
 G  
*Cerberus.*  
 H  
 I  
 K  
*Alceus.*  
 L  
*Aphidius.*  
*9 1/2 pedes Angli.*  
 M  
*Thea.*  
 N  
*Ampite.*  
 P  
*Diana.*  
 Q  
*Satoni.*  
 R  
*Apollo.*  
 S  
*Venus.*  
 T  
*Dione.*  
 V  
*Ceres.*  
 X  
*Heliostatus.*  
 Z  
*Euryte.*



poeta, rumores, qui ipsius consilio non conueniant, modo ne nimis noti et celebrati sint, spernere et vnā quandam fabulam vt veram rectamque sibi eligere et amplecti potest. Itaque Phidiae menti hoc vnum obuersatum esse videtur, quod Erichthonius, Minervae alumnus atque cultor, dea ipsa adiuvante, primus equos ad curram coegerit, sicut alius heros, Buzyges dictus, eiusdem auxilio boues aratro iunxisse tradebatur *l*). Neque dubito, quin Phidiae ea narratio ad indolem utriusque numinis inde ab Homero traditam aptissima visa fuerit, siquidem dei marini animus ferox et indomitus menti Minervae ad res domesticas, ciuiles, bellicas gnaniter et industrie administrandas et omnia quae occurrunt in vsum hominum conuertenda idoneae bene oppositur.

7. Hoc vnum mirari posses, quod Neptunus huic rei adesse fingatur, eaque certamen de terra Attica continuatum esse a Phidia significetur, cum nihil tale ab antiquis scriptoribus relatum reperitur. At multa sine dubio inter Graeciae populos prisca fama tradebantur, quae nunc prorsus euanuerunt, itaque etiam illud traditum esse potest, Minervam victoriae suae hoc addidisse complementum, vt animal Neptunium iugo frenoque domaretur. Neque scrupulum chronologicum iniici sibi patientur ii, qui ordinem fabularum chronologicum maximam partem a viris grammaticis additum et effectum esse tenent. Verum vt etiam talis fabula ante Phidiam non fuerit, ipse suo iure, sicut poeta, has duas res, litem Minervae cum Neptuno et Erichthonii quadrigam, coniungere et componere poterat, potissimum cum ipse locus, quo ea signa ponenda erant, vt ita faceret, eum excitaret. Hoc enim in arte antiqua non minimi momenti erat, vt argumentum mythicum inueniretur tale, quod tempori, quo opus iussum erat, rei gestae, quae causam contine-

*l*) De Buzyge quaedam laudata inuenies in dissert. de Phidia I. § 5.  
De Minerva a bubus iunctis Budea et Boarmia dicta v. Orchomenica p. 185 sq.

bat, loco denique, quo ponendum erat, aptissimum esset. Neque raro admirationem mouere debet acumen, quo artifices in donariis populorum Graecorum causam voti donariique mythice adumbraverunt et significauerunt *m*). Nunc vero Phidias Uccatompedon siue Parthenonem exornare iussus erat, quam aedem ad iustam Panathenaeorum celebrationem exstructam fuisse, tum ipsa pompa Panathenaeica in zophoro cellae sculpta tum aliae rationes probant. Quid igitur aptius cogitari potest, quam quod in posteriore fastigio, quoniam antea natalibus deae iam occupatum erat, fabula illustratur ad origines ludorum Panathenaeicorum spectans. Eadem enim quadriga, qua Minerva victoriam suam de Neptuno cumulat, eadem Erichthonius Panathenaeorum, quae velut Epinicia deae celebrabantur *n*), primam palmam nactus esse dicebatur.

8. Haec si placere possint, cetera signa faciliore negotio vel certa ratione vel coniectura explicari possunt. Ea omnia, quae spectanti ad dextram posita sunt, asseclas atque fautores Neptuni repraesentant. Amphitriten leuis vestitus atque cetus sub pedibus declarat. Dea proxime adstans Oceanidum vel Nereidum vna, for-

---

*m*) Vnum exemplum adduco. Thessali sub tempus belli Persici in Phocidem irruerant, Phocenses fugauerant, denique ab iis in monte Parnasso victi sunt. Iam Phocenses *Apollinem* Delphicum vt suum sibi deum vindicabant, Thessali autem *Heraclidas* duces habebant, atque *Minervae* Itoniae nomine tessera siue signo tum utebantur (Paus. X, 1, 4.). Atque nullum in fabulis argumentum huic victoriae celebrandae aptius inueniri poterat, quam hoc, quod elegere: Apollo, Diana et Latona ex altera parte, ex altera Hercules cum Minerva de tripode decertantes. Quo Phocenses significare voluere, se delubro Delphico praesidio fuisse, ne a Thessalis diriperetur. V. de his signis Amaltheae V. I. p. 132 sq.

*n*) Cum Olympia Herculis, Pythia Apollinis, alia certamina aliorum ab origine epinicia fuisse tradantur: crediderim etiam Panathenaea in fabulis Atticis simili ratione cum certamine deorum coniuncta fuisse.

tasse Thetis, esse potest. Certius agnoscitur Latona, cuius in sinu Apollo et Diana infantes ludunt. Hanc Phidias hoc loco posuit, quia Apollo in fabulis saepe Neptuno socium et amicum sese praestat. Sedem deae vndae alluunt, nimirum quod Delus insula saxo, cui insedit, significatur. Feminam, quae proxima sequitur, cuius gremio puella fere nuda sustinetur, vel Cererem cum Proserpina dicere potes vel Dionen cum Venere. Hoc praefero, cum Veneri, quae etiam inter numina maris colebatur, corporis fere totius nudatio melius conueniat. Contra mulierem, quae deinceps sequitur, Cererem appellare malo, et spatium vacuum, quod lineae Nointelianae exhibent, Proserpina puella occupatum puto. Vix enim Eleusinae deae abesse poterant, cum et hae, sicut fabulae de Eumolpo demonstrant, Neptuno essent coniunctissimae. Iuuenem post has positum Halirrhothium dico, Neptuni filium, cuius nomen maris aestum exprimit. Huius enim in hoc certamine partes erant non minimae, cum postea oleam a Minerva creatam excidere conatus sit. Feminam denique vltimo loco, in angulo fastigii, recubantem Euryten nympham, a Neptuno adamatam, Halirrhothii matrem, si placet, dicere potes o).

9. Signa versus alterum fastigii angulum posita ex parte iam explicata, ex parte nunc explicanda sunt. Quam apte Victoria in curru Minervae collocata sit, nunc iam neminem potest latere. Hoc enim curru, vt dixi, nunc Minerva Neptunum vincit, eodem vincet etiam Erichthonius. Quae autem sequuntur, necesse est maximam partem ad honorem Athenarum pertineant et antiquos huius terrae heroes repraesentent. Igitur mulieres tres deinceps positas Cecropis filias, Aglaurum, Pandrosum et Hersen, esse puto. Nunc vero prima earum puerum retinet, qui equorum subsultantium ferocia territus aufugere velle videtur. Iam quisque de Erichthonio cogitat, cura Cecropidum, Pandrosi maxime, edu-

---

o) Apollod. III, 14, 2.



eato *p*). At Erichthonius iam adest, cum iuuenis eurrum regens alius esse non possit. Igitur fortasse statuendum est, Phidiam hunc terrae filium, a Minerva Cecropis filibus traditum, cum Homero et Uroclato non Erichthonium, sed Erechtheum appellasse, atque hunc a conditōre Panathenaeorum discreuisse. Vereor tamen, ne hoc di crimen rem accuratius scrutantibus non probetur, cum scriptores, qui inter Erechtheum et Erichthonium distinguunt, sicut Euripides et Apollodorus faciunt, illum in posteriora tempora detrudant, atque ab antiqua illa terrigenarum stirpe omnino dimoveant. Itaque puto nos hisce difficultatibus ita optime explicari, si puerum illum Cecropidam non alium sed fratrem, quem mythologi Erichthonem dicunt, statuerimus *q*). Virum autem, cui tertia harum virginum leniter inclinatur, Cecropem ipsam habeo, cuius in hac de ceotamine deorum fabula multa mentio exstat, et qui in opere anaglypho, Athenis reperto, cum tribus filiabus, sicut in hoc Parthenonis fastigio, sacram pompam excepiens conspicitur *r*). Vnum restat signum in angulo fastigii positum, quod plerique non male Ilissum, terrae Atticae fluvium, dicunt, cum in templo Iouis Olympii eodem loco Cladei fluvii imago posita fuerit, et Ilissi simulacrum, tum ad locum totius rei indicandum, tum quod et huius interesse debebat, vter deorum victor abiret, minime alienum sit.

*p*) Quod duae earum, postquam Erichthonium draconibus inuolutum videre, mortuae esse finguntur, hoc opponere noli. Deae enim factae sunt et vt deae hic adesse possunt.

*q*) Ita Leakius fecit, cui in multis assensum non cohibeo, quanquam in vniuerso argumento aliam sententiam secutus sum.

*r*) V. Museum Worsleyanum T. I. tb. 9. p. 19. Cogitaueram etiam; hunc virum esse Mercurium, qualis ab antiquioribus sculptoribus fingitur, et virginem iuxta reclinatam Hersen, quam ille amauisse fertur. V. Ovid. Met. II, 711 sq. et Monumentum Regillae. Cf. Paus. I, 38 3. Quam opinionem petaso, qui ad viri femur sinistrum a quibusdam agnoscitur, adducto tutari possem.

Atque sane is est corporis eius habitus et motus, quo se rei cui-dam, quae a tergo ipsius geritur, intentum ostendit, quam ob rem superiora corporis cum contentione quadam conuertit: quod nemi-nem fugit, qui statuum hanc, quae ex eo fastigio sola in Museo Britannico superest, attente spectauerit.

10. Addo nunc singulorum signorum notitiam, quam ex fon-tibus <sup>30</sup>supra indicatis haurire potui. Dinumerabo ea deinceps, a dextro fastigii angulo ordiens.

A. Corpus viri adulti validi, qui recubat sed pectus cum con-tentione quadam conuertit. Ilissum dixi cum aliis. Pictor Belga eum perperam adumbrauerat, sed auxit etiam errores eius delineatio hinc facta in *Antiqq. Athen. V. IV. C. 4. tb. 1.*, qua vir in puel-lam mutatus exiit. Vidit eum in fastigii angulo Stuartus et deli-neauit, *Antiqq. Ath. V. II. C. 4. tb. 9.* Nunc est in Museo Bri-tannico, in *Oeco XV. n. 70.*, eodem fere statu, quo Carey eum viderat, nisi quod collum et brachium sinistrum nunc magis trun-catum est. Hinc bene delineatum habes in libro: *The Elgin Mar-bles London 1816, tb. 11.* Alias imagines signi dant Burrow Hi-story of Athens and the Elgin Marbles pl. 24. Lawrence Elgin Mar-bles pl. 6, quorum libros in Britannia tractaui, nunc ad manus non habeo. Ego delineationi Nointelianae partem brachii dextri et manum sinistram e Stuardo addidi. Est qui huic signo caput quoddam strophio insigne inter marmora Elginiana addat. Is si caput intellexit nunc in Museo Britannico, *XV. n. 119.*, asseruatum, in quo solo strophium repperi, errasse videtur, cum hoc caput mihi quidem manifesta Romani operis vestigia demonstrare videatur. Nam oculorum pupillae semicirculo cauo notatae, capilli in barba terebrati, supercilia prominentiora huius temporis sunt.

B. et C. Vir senior sedens, cuius humero belia mulier inniti-tur. Pictor Belga inter hos et Ilissum interuallum notat non magnum. Eodem loco haec signa adhuc vidit Stuartus, eaque de-

lineati praebent *Antiqq. Ath. Vol. II. C. 1. tb. 9.* Hinc brachium dextrum viri aliquantulum auxi, et sinistrum, quod Carey praetervidit, addidi. Comes Elginiensis haec certe non deturbavit. Sed nunc signum masculinum capite caret, quod circa a. 1803 demptum esse videtur (v. *Taylor Report on the Elgin Marbles p. 46.* et cf. de variis capitibus huius fatis *Dodwellum Travels V. I. p. 325.*) Caput feminae dicitur in aedibus proxeni Franco-Gallici, Fauvelii, fuisse, quanquam testimonium eius, quod in nota ad *Le-Grand* missa exstat (v. *Antiqq. Ath. V. IV. p. 20.*), contraria *Guillemi Wilkins* narratione (*Walpole Travels in various countries of the East p. 418.*) valde infringitur. *Fauvelius* in eo capite, quod apud se habebat, foramina subscudibus acreis recipiendis idonea observavit, unde eam feminam diademate ornatam fuisse colligitur. *V. Antiqq. Ath. l. 1.* Idem popularis sui *Sponii* sententiam tuetur, esse has duas imagines tempore recentiore factas, easque *Hadrianum* cum *Sabina* vxore repraesentare. Contra vnam eandemque in his et ceteris signis operis rationem agnoscit *Cockerellius*, auctor fide dignus. Atque omnino opinionem illam *Sponii* nunc satis refutatam et plane sublatam habemus. *V. Reuvens, Antiquiteiten II, 2. p. 78 sqq.*

**D. E. F. Mulier sedens. Puer aufugere tentans. Mulier habitu virginali eum retineas. Haec tria signa tantum chartae Nointelianae nota faciunt.**

**G. Mulier habitu virginali currui insistens. Etiam huius figura per eas chartas potissimum innotuit. Consentit tamen cum his Sponii descriptio, qui capillum more Veneris dispositum esse narrat. Viscontius id signum Victoriam ἀπτερον appellavit, in quo eum secutus sum. Sed idem V. D. truncum quendam corporis, in Museo Britannico, XV, 69., exstantem, huic Victoriae attribuit. In quo mihi a viro peritissimo discedendum est. Etenim huic trunco adhuc adhaeret pars laevi lacerti, quae totum fere musculum del-**

toideum cum aliis complectitur, adhaeret etiam exigua pars laei feminis. Iam hinc agnoscere licet lacertum ita retrorsum motum fuisse, ut angulum quendam cum latere efficeret, femur autem in anterius promotum neque valde sublatum fuisse. Contra Victoria illa in lineis Nointelianis laeuum lacertum promouet et dextrum retrahit, femur autem laeuum tantopere tollit, ut rectum ferme cum trunco corporis angulum efficiat. Haec igitur sibi non conueniunt. Quodsi truncus Musei Britannici e fastigio occidentali, de quo agimus, decidit, me iudice nulli signo nisi mulieri ad laeuum Neptuni latus adsidenti tribui potest. Huic enim lacerti, femoris, corporis totius habitus uice conuenire uidetur: Etiam id conuenit, quod laeuus lacertus nudus est; femoris pars nuda, quam lineae Belgae praebent, nunc non amplius exstat. Et video, eandem opinionem declarari in Antiqq. Athen. T. IV. p. 22. et a Quatremère-DeQuincy, Lettres p. 85. Truncus ille delineatus est apud Burrow tb. 22.

H. Vir iuuenis prope currum incedens. Huius truncus sine capite et membris inter Elginiana, XV, 76. (Burrow tb. 23.), exstat. Femora, quamuis exigua eorum pars adhuc exstat, gradientis fuisse, adhuc intelligi potest. Similiter brachium dextrum protensum, laeuum demissum fuisse, ex trunco diuinatur, e lineis Nointelianis liquido apparet. Etiam magnitudinis ratio bene conuenit. In marmore notatur, humero laeuo tergoque vestem, chlamydem puto, iniectam fuisse, quam pictor Belga vix videre poterat. Est etiam inter fragmenta Elginiana, n. 256., laeuum genu, quod huic signo addere possis, sed res non liquet.

I. K. Duo equi. Horum historia liquido docet, tormenta Venetorum huic fastigio, cuius murum etiam in tabula quadam Stuartiana adhuc integrum videre potes, non tantopere nocuisse, quam quidam narrant. Nam postea demum, cum Morosinus, nauarchus Venetorum, Athenis expugnatis cedere cogeretur: hos equos ut

tolleret et in patriam auferret, is in animum induxit. Sed inertia operarum factum est, ut, dum dimittuntur, retinentibus elaberentur, et, sicut narrat qui vidit, in pulverem magis quam in frusta et fragmenta misere confringerentur. V. Bulifone *Lettere memorabili Raccolta* sec. p. 83. Leake *Topogr. Athen.* p. xciv. Itaque Comes Elginiensis nulla horum equorum fragmenta reperire potuit. Nihilominus Fauvelius (*Antiqq. Ath.* V. IV. p. 20.) affirmat, alterum horum equorum muris arcis Turcicae in acropoli iniectum conspici. — Ceterum iis, quae supra de his equis dixi, hic additio, minime premendum esse, quod *binos* non quaternos equos curru iungat Eliechthonius. Quaternos puto posuisset Phidias, si spatii angustia non fuisset impedimento. Nam cum inferior latitudo aëtomatos vix trium pedum esset, omnino fieri non poterat, ut in eo quatuor equi, octonos pedes alti, ponerentur.

Capita, quae in delineatione Bibliothecae Regiae subter equis conspiciuntur, pictor Belga nescio qua specie falsus addidisse videtur. Informe illud saxum, quo equi sustentantur, tum subiectum puto, cum vinci et vincula ferrea, quibus equi muro aëtomatos olim annexi fuerant, robigine exesa periissent.

L. Minerva in chartis Nointelianis capite, brachiorum maxima parte et crure sinistro cum parte tunicae caret. Hac parte corpus deae muro latericio innititur, qui in medio fastigio arcuatim exstructus erat, sine dubio, ut turricula cum campana imponeretur. (Ita Fauvelius). Sponius caput et crura huius signi truncata dicit; idem autem manifesto errat, cum affirmat, crura tantum dimidia veste tecta fuisse (ita etiam Wheelerus); videtur ad superiorem solam tunicam attendisse et talarem, quae adest, neglexisse. Huius signi duo fragmenta exstant in Museo Britannico. 1. Magna pars pectoris (n. 75., Burrow th. 24.). Figura aegidis bene convenit cum lineis Nointelianis. Tum in media aegide tum in angulis et ego foramina notavi, capiti Gorgoneo et anguibus ex aere,

aere, ut puto, factis et inauratis affigendis idonea, quae nullum dubium quin multo tempore ante pictoris Belgae opus ablata fuerint. 2. Pars capitis (n. 118. Burrow tb. 24). Inuentam eam Viscontius dicit in ipso aetomate, Cockerellius et Combius humi apud aedem. Continet id fragmentum frontem cum capillis cincinnatis dextrae partis, caua satis magna et profunda, quibus oculi vel argentei vel e lapillis facti impositi erant, locum nasi truncati, genam dextram et partem sinistrae. Qua tamen marmor non truncatum est, superficiem ostendit laeuam et integram, cui color encaustice inductus praesidio fuisse recte creditur. Laeua parte supra exteriorem oculi angulum duo foramina conspiciuntur, quae cassidi aeneae aptandae destinata erant. Hanc cassidem et capitis quae desunt in delineatione adiecta addidi. Nam caput hoc Minervae fuisse, cum Reuente aliisque nullus dubito; capillos eodem modo dispositos inueni, quo in multis tetradrachmis Athenarum, vnde haec maxime restituendo capiti adhibui. Cockerellius (cuius de opinione me certior fecit Reuens l. 1. p. 61.) huic signo basin addit cum pedibus valde disiunctis, quae in Museo Britannico, XV. n. 201. asseruatur. Ego ut concesserim singula signa suas habuisse bases, hanc tamen opinionem reiicio, primum quia iam tempore pictoris Belgae pedes deae separati fuerant, siquidem alter tantum cum signo coniunctus erat; deinde valde metuo, ne pedes in basi illa minores sint quam pro signi magnitudine, denique ii, quantum ego notauit, corio induti sunt, vnde nescio, an imagini Romani temporis tribuendi sint. Leakius Topogr. Ath. p. 254. de pedibus duobus cum stipite quodam arboris interposito inter Elginiana marmora asseruatis loquitur, at ego neque in hoc fragmento neque in alio simili (n. 107 \*) quidquam de eo stipite vidi.

M. Signum, quod cum aliis Neptunum dixi. Id cum tempore Sponii et Marchionis Nointeliensis maximam partem adhuc superesset (fulciebatur autem muro illo lateritio), postea siue cum tem-

plum tormentorum vi concuteretur, siue cum Veneti signa quaedam demouere conarentur, delapsum est, atque, Fauvelio auctore, diu humi iacebat, ita, vt caput inter rudera sepultum esset, pedes extarent. Turcae corporis habitum et situm tanquam foedum auersati membra singula confregere iisque caementorum loco vsi sunt. In Britanniam deuenit pectus dei (n. 64. Burrow tb. 25.), cuius quidem superficies anterior in exigua parte subter clauiculas et humeros adhuc superest, laeua sub lacerto, ad bicipitem vsque musculum seruato, magis integra exstat, dextra cum lacerto magis truncata est, in tergo denique (nam et hoc in omnibus signis summa cura absolutum) maximam partem integra superest, et suo iure magnam admirationem sibi comparat. Pectoris huius et brachiorum habitus cum delineatione artificis Belgae exacte conuenit. Aliud huius signi fragmentum in Museo Britannico non exstat.

M - N. Ad laeuum Neptuni latus omnes, qui de eorum signorum dispositione scripserunt, vacuum quoddam spatium statuunt, quod ex delineatione Nointeliana suppleri non posse dicunt. At mihi persuasum est, id spatium neque tum fuisse neque a pictore Belga significatum esse. Primum autem notandum, delineationem eam tanta negligentia et incuria factam esse, vt ne anguli quidem fastigii eiusdem magnitudinis sint, sed laeuus multo magis acutus: quod tum in Antiqq. Athen., tum in adumbratione, quam ipse charta pellucida feceram, obseruauit. Ea enim delineatio in duas partes diuisa est, quarum altera Neptuni signo terminatur, altera cetera signa vsque ad laeuum aedis humerum continet. Hac quidem in parte, prope fastigii culmen, aetomatos spatium vacuum additur, quod nihil nisi murum lateritium continet, in quo arcus dimidius significatur. Hic autem arcus in altera delineationis parte non continuatur, quo fit, vt mentem pictoris de coniungendis his partibus haud facile asequaris. Plerique hunc murum arcuatum singulis partibus interposuere; mihi probabile fit, eum murum cum

arcu a pictore ultra Neptuni signum, a tergo Neptuni, conspectum esse, et, ne lineae diuersae confunderentur, in altera parte ab eo Neptunum, in altera arcum esse significatum. Nam si ab angulo dextro ad culmen fastigii, quod supra dextrum Neptuni femur ponitur, metiris et eam mensuram in alteram delineationis partem transfers, inuenies culmen in eum locum incidere, qui non longe ab arcu dimidiato absit, ita vt Neptuni figuram hunc arcum tegere necesse sit, quanquam in priore delineationis parte nulla arcus pars significatur. Denique is arcus siue ad fulciendum fastigium, siue ad sustentandam turriculam exstructus, sub culmine aëtomatos fuisse videtur: quae omnia mihi persuadent, nullam fere fuisse inter Neptunum et signum proxime subiectum lacunam. Etiam Sponium in subsidium huius sententiae vocare possum. Hic enim (sicut Wheelerus) plane nihil de lacuna dicit, idemque narrat, laeua signi, quod ipsi Iupiter, nobis Neptunus est, quinque vel sex signa, partim iam tum capite truncata, stare. Delineatio autem Nointeliana, etiamsi pueros puellasque in computum non adhibueris, septem exhibet, vnde apparet, Sponium eo loco nihil vidisse, quod tempore pictoris Belgae non superfuerit. Igitur in adumbratione adiuncta partes illas ita, vt ego rectum existimaui, coniungendas curauim.

N. Signum mulieris, cuius dextrum crus etiam muro illi initebatur. Huic Editor IV. Vol. Antiqq. Athen. p. 22. truncum inter marmora Elginiana seruatum tribuit, atque in eo trunco zonom metallo additam fuisse obseruat. Is vix aliud fragmentum intelligere potuit quam quod in Museo Britannico, XV, 72., asservatur; idemque de hoc verbis non ambiguis statuit Quatremère-de-Quincy Lettres p. 84. Contra affirmatur, hunc truncum sub fastigio orientali inuentum esse, quam sententiam sequitur Editor Synopseos ad n. 72., qui eum non male Victoriae alatae fragmentum esse censet. Cui equidem assenserim, cum et ipse caua illa, quibus alae aptatae erant, obseruauerim, et omnino corporis habitum



erectiorem et viuidiorem motum in trunco agnoscere mihi videar, quam in figura Nointeliana.

O. Signum deae, cuius sub pedibus cetus est. De huius trunco adhuc exstante dixi ad n. G.

P. Q. R. Signum matris cum duobus infantibus. Gremium huius signi exstat in Museo Britannico n. 73. Conuenit crurum et femorum habitus. Et superest etiam dextra parte aliquid de pedibus infantis, Dianae vt puto.

S. T. V. X. Z. Omnia haec signa solus artifex, quem Marchio Nointeliensis adhibuit, nota facit. Ad n. T. tamen pertinere videtur, sicut cum Quatremère p. 86. censeo, fragmentum laeui femoris diligenter vestiti, laciniis vestis ad latus solii, cui insidet, dependulis, in Museo Britann. n. 156. asseruatum. Atque vltimi signi potest esse laeuus lacertus, in Museo Britannico n. 268., quem de fastigiis prouenisse tradentibus fragmenti forma materiesque fidem facit.

Cum nomina, quae his signis alii alia indidere, accurate recensuerit Reuens, equidem eam partem operis omisi. Adumbrationis autem adiectae fundus est delineatio Nointeliana, quam tamen ad symmetriam aedis redigere coactus fui. Ea, quae in Museo Britannico exstant, fragmenta *punctulis* circumpositis significau.

---

DE VARIIS MERCIBUS AB VRBIBUS GERMANIAE SEPTENTRIONALIS SEU HANSEATICIS PER SEacula XIII-XVI EX RUSSIA EUECTIS ET OCCIDENTEM MERIDIEMQUE VERSUS LONGIUS TRANSPORTATIS; ET QUIDEM INPRIMIS QUATENUS ORIENTIS MERCES IN HIS NEGOTIIS PER ILLA QUATUOR SEcula LOCUM HABUERINT, EAEDEMQUE E RUSSIA VLTERIUS VECTAE, QUANTUM REM HANSEATICAM ADIUISSSE DICENDAE SINT?

COMMENTATIO

GEORGII SARTORII

RECITATA

DIE XVI. JUL. MDCCCXXV.

---

**D**iversae sententiae ad hoc vsque tempus ea de re, quam tractaturi sumus, in medium prolatae sunt. Quamquam iam antea in historia foederis, quod Hansa magna Germanica vocatur, opinioni, secundum quam vrbes Hanseaticae mercaturam mercibus orientis permutandis fecerint, eaque illis maximi momenti visa fuerint, contradixeram, tamen recentioribus temporibus extitere, qui huic falsae opinioni fauerent, aliique affirmarent, in hac mercatura et harum mercium vectura summum commercii Germanorum cum Russia momentum constitisse, hocque a ciuibus vrbiu(m) Hanseaticaru(m) sine dubio bene perspectum fuisse. a)

---

a) Talia profert denuo KARAMSIN, *histoire de l'empire de Russie*, traduite par MM. St. Thomas et Jauffret. à Par. 1820. 8. T. V. p. 481. his verbis: *Les Russes fournissaient aux Mogols les draps d'Allemagne, et procuraient aux Allemands les marchandises de*

Non hic quaerimus, an priori mediæ aevi tempore vsque ad seculum decimum tertium negotiatio eiusmodi a populis Scandinaviae et Venedorum (*Wenden*) per Russiam exercita fuerit, neque omnino in dubium vocare est animus, nec negamus Germanos septentrionales his remotis temporibus nonnullas orientis merces, mediantibus Scandinavis et Venedis per Russiam accepisse. Coniunctio enim Russorum cum Constantinopoli per Borysthenem, porro cum diuersis Asiae partibus directa atque indirecta, tum, quod orientis merces in Scandinaviae regiones septentrionales delatas fuisse certissime constet; tot denique nummi Graeci et Arabici in oris maritimis maris Balthici reperti, hoc manifeste demonstrant: at recentiora huius rei argumenta fere nulla inuenimus, exceptis illis, quae viri docti *Rasmussen* et *Traehu* publici iuris fecerunt,

---

*P. Asie*; in conspectu negotiationis Russiae per imperium Mongolorum vsque ad Iwan III. a. 1426; neque tamen argumenta aut documenta vlla probantia addit, nec accurate definit, vtrum sub Germanis intelligat Germanos septentrionales, de quibus hic sermo est, nec ne. — Sententia alius auctoris Germanici G. DE BREDERLOW in: *Geschichte des Handels und der Cultur der Ostsee-Reiche im Mittelalter bis zum Schlusse des sechszehnten Jahrhunderts, mit besonderm Bezug auf Danzig*. Berlin, 1828. 8. p. 24 sqq. leuis quidem et arrogantiæ insignis, contententis explicari non posse, cum tot minores vrbes Hauseaticae negotiationem cum Russia grauissimam iudicauerint, nisi orientis merces potissimam eius partem constituissimas, cum alia argumenta deficiant explanatione accuratiori non eget. Quodsi Germani orientis merces viliori pretio aliunde emere, quodsi hi atque Europa occidentalis per alias vias facilius has merces sibi comparare poterant, quodsi denique reputes, pelles pretiosissimas aliasque Russiae proprias merces, quae nusquam acque bonae tamque vili pretio comparari poterant, ibi tantum reperi potuisse, atque importationem Germanicarum non minus, quam a Germanis ex occidente Russiam versus inuectarum mercium; grauissimam fuisse, hoc argumentum, nulla alia re confirmatum, per se perit.

eaque de causa serioris modo temporis rationem habemus, de quo, secundum argumenta recentiora, in tabulariis reperta, accuratius iudicandum est. b)

Quamvis in hoc tempore priori aduectionem orientis mercium per Russiam auxilio populorum maris Balthici non infitiamur, tamen a verisimilitudine abhorret, tunc temporis Europam occidentalem, mediam atque australem hac inprimis via orientis merces adeptam fuisse, quod viae antiquitus consuetae cognitae essent, quarum ope orientis mercium desiderio sine ambagibus et viliori pretio satisfieri poterat.

Temporibus longe antiquioribus Romani per Syriam et Aegyptum merces orientis apportarunt trans sinum Persicum et mare rubrum aduectas; cum vero tempore succedente Byzantium se attolleret, hae merces partim prioribus, partim recentioribus viis eo aduectae sunt, posteaque a Graecis et Arabibus, tum ab urbibus Italiae, paulatim efflorescentibus, in plagas litorales septentrionales maris mediterranei adductae sunt.

Sine dubio vrbes Italiae, Venetia, Genua, Pisa et Amalfi seculo nono cum Constantinopoli commercio coniunctae fuerunt, et cum imperatoribus Graecis ea de re seculo decimo pactiones fecerunt. Italorum postea singuli in foris Europae australis, occidentalis et mediae conspiciuntur cum mercibus orientis permutando acquisitis, quamvis initio demum seculi decimi quarti in Anglia et in

---

b) Rasmussen collegit plura huc spectantia, quae ad Scandinauiam pertinent in docta dissertatione: *Om Arabernes og Persernes Bekjendskab og Handel i Middelalderen med Rusland og Skandinavien af Dr. J. L. Rasmussen*, edita primum in *Athene et Maanedskrift udgivet af Chr. Molbech* (Mares, April, Mai. Kiöbenh. 1814. 8. dein quoque singulatim edita. Conferas quoque, quae in pluribus dissertationibus vir clarissimus C. M. Fraehn hac de re attulit inprimis in: *Ibn Foslan's und anderer Araber Berichte über die Russen älterer Zeit*. St. Petersb. 1824. 4. passim.

Belgio sedes fixas acquisiverunt, et cum Germania superiori perpetuo iuncti reperiuntur. Graecos longe post eversionem imperii Romani, quod in occidente fuit, in Italia et in aliis oris magis in occidentem vergentibus, per longius tempus dominationem quandam obtinuisse, atque cum Constantinopoli coniunctos fuisse, non dubium est. Iuxta Danubium quoque negotiatio cum Constantinopoli et cum Kiiovia (Kiew) procul dubio locum habuit, cuius ope merces orientis facilius, quam per mare Balthicum obtineri poterant. c)

Etsi igitur non verisimile sit, hac via septentrionali Europam australem, mediam et occidentalem has orientis merces sibi olim comparasse; tamen septentrionem remotiorem et australes regiones maris Balthici tamdiu per Russiam illis desideriis satisfacisse probabile est, donec negotia Italarum septentrionem versus crescerent, et subsidio Germanorum orientis quoque merces ad littora maris Balthici apportarentur. Post eversionem atque interitum antiquarum et inclitarum urbium mercatoriarum in Scandinavia, in regionibus Slaucis ex parte in Germania, cis Mare Balthicum sitarum, Wysbia procul dubio in insula Gothlandia in summum mercaturae fastigium enixa est in mari Balthico. Certiora vero et documentis confirmata de negotiis huius urbis aut huius insulae, et quatenus per eas orientis mercimonia perpetuo a Constantinopoli aut ab aliis variis Asiae regionibus per Russiam adducta fuerint, hucusque non inuenta sunt. Opinio autem temporis multo serioris, quaeque tantum arguit, famam eiusmodi negotiationis cum oriente in insula

---

c) Opus HÜLLMANNI: „*Geschichte des Byzantinischen Handels. Fkft a. d. O. 1808*” argumentis copiosioribus adferendis otium fecit. Licet tamen comparare, praecipue ob coniunctionem Germaniae australis cum Kiiovia et Italia: C. Th. *Gemeiners Reichsstadt Regensburgische Chronik. Regensb. 1800. 4. Th. 1.* praecipue p. 282, 285, 286, 432, 478. et „*Franz Kurz, Oesterreichs Handel in ältern Zeiten. Linz, 1822. 8. p. 14 et 15 et articulum decimum octavum p. 331 sqq.*

conseruatam fuisse, nihil certi praestat, etsi monetae multae Arabicae et Graecae ad nostra usque tempora in insula detegantur. Indicia scripta accuratiora hucusque reperta non sunt, atque ex fati infauis huius urbis et insulae serioribus colligere licet, cur haec indicia scripta prodita omnino desiderentur.

Quodsi uero sermo est de posteriori tempore seculi decimi tertii et sequentibus, de negotiis urbium Germanicarum sensim ad mare Balthicum institutis, deque earum coniunctione inter se et cum aliis Germaniae ciuitatibus ad mare Germanicum sitis, unde paulatim foedus Germanicum, quod Hansa magna Germanica uocatur, enatum est; haud uerisimile est, orientis merces hac uia magnam partem mercaturae Hanseaticae cum Russia confecisse. Magna industria urbium Italiae diuersis temporibus ad oras Syriae, fauor nouorum orientis dominorum Francorum intra expeditiones sacras, Venetorum expugnatio Constantinopolis, eorum expulsio per Graecos imperatores adiutos aemulis Genuensibus, amborum occupationes in Graecis insulis, ad mare nigrum, Assow et Caspium coniunctiones eorum mercatoriae per has uias cum pluribus Asiae partibus; auxilia postea Mameluccorum Venetis praestita iuxta oras Syriae et Aegypti, atque studia horum aliorumque Italarum, conuersiones mercatorias cum septentrione Europae constituendi, ubi initio seculi decimi quarti in Anglia et Belgio sedes fixae eorum reperiuntur. Haec omnia in dubium uocare uidentur, talem progressum orientis mercium per Russiam, propter commoda Scandinaviae, australium orarum Maris Balthici, et uicinarum maris septentrionalis perdurasse. Ex hoc tempore quidem, e quo certa et firma documenta adsunt, uestigia reperiuntur, unde patet, urbes Germanicas in his seculis regna uersus septentrionalia merces orientis procul dubio plerumque ex Italia et Belgio apportasse; quamuis non dixerim, Russiam eas merces hac uia imprimis acquisisse, cum hoc regnum, praecipue eius partes australes et orientales, propiores uias nossent ad adipiscenda haec mercimonia;

tamen vestigia apparent, vnde colligere licet, quasdam orientis merces a Germanis aut Hanseaticis ad Russiam septentrionalem adductas fuisse. Contra certum est, nullum vestigium ad hoc vsque tempus repertum fuisse, vnde cluceat, vrbes foederatas Germanicas maritimas et Hanseaticas per Russiam hoc tempore orientis merces adduxisse. Ceterum relationes, quae ad mercaturam Russiae cum Germania a seculo duodecimo vsque ad decimum sextum, pertinebant hucusque adeo vitiosae et rariae fuerunt, vt e silentio earum de orientis mercibus per Russiam auxilio vrbiū Germanicarum ad mare Balthicum conditarum, et occidentem versus positarum et Hansae aduectis, colligi non possit, eiusmodi mercaturam prorsus locum non habuisse. Atque haec forsā causa est, cur semper denuo existant, qui contrarium affirmant, quamvis hucusque nihil certi in medium protulerint, neque relationes documentis novis stabilitas communicauerint, quod tamen optandum esset, vt sententia per se non verisimilis, manifesta et indubitata redderetur.

Diu spes frustrata fuit plura documenta reperiendi, quae olim multa de hac mercatura extiterant. Cum enim seculo decimo sexto periculum factum esset, pristinam Hanseaticorum cum Russia interpellatam mercaturam restituendi, et legati ciuitatum hanseaticarum in diaeta constituti, postularent, vt cunctas ad hanc negotiationem pertinentes membranas et documenta ad diaetas sequentes vrbiū legatorum transmitterent, responsum est, nullas relationes de iuribus olim in Russia perceptis reperiri, quae tamen in eo potissimum constitisse nouerint, quod portoria nulla in Russia soluenda fuissent.

At postea accuratius explorando sat magna copia eiusmodi documentorum et membranarum nostris temporibus inuenta est, quae mercaturam Germaniae cum Russia inde a seculo tertio spectant, inprimis Lubecae, quae fuit et est libera vrbs et Hansae princeps, ita vt illa confessio in conciliis Hanseaticorum proposita nihil demonstret, nisi illo tempore tabularia vrbiū aut indigesta fuisse,

atque hac ratione res inuentu difficillimas, aut operam nimis leuem in reperiendo positam fuisse, aut denique posterioribus demum temporibus documenta huic spectantia, deleto emporio Nouogrodensi, Lubecam adducta fuisse.

Dreyerus, Syndicus quondam Lubecae ac praepositus ecclesiae cathedralis, operam dedit, vt tabularium Lubecense ditissimum quoad negotia inter Hansam et Russiam, in ordinem redigeret et indicem scriptum actorum et documentorum componeret, quod a posteris grate agnoscendum est, cum totius copiae farraginis cognitionem faciliorem fecerit, quamuis, neglectis quibusdam in legendis documentis, vitia admiserit, ita vt interdum ea non recte designaret, atque in quibusdam, typis exscriptis, nominatim in specimine iuris publici Lubecensis, menda grauissima committeret, quae collatis documentis statim apparent. Attamen labor vere herculeus erat, quem nemo tam breui, quod habuit, tempore exantlasset; ceterum nunc demum fundamento iacto inuentio facilior reddita est, atque emendationes locum habere possunt; merita viri non omnino contemnenda sunt ab exploratoribus vestigia eius prementibus, qui magno emerent, si eiusmodi quamuis vitiosum fundamentum in cunctis aliis urbium tabulariis reperire possent. Lubecae contigit, vt post obitum Dreyeri alii strenui successores tabulario praeesent, qui curatis supplementis nouas obseruationes fortuna adiuti facerent.

Aditus autem ad hoc et alia tabularia, qui mihi liberaliter admodum concessus fuit, praecipue Hamburgi, Bremae et Coloniae-Agrippinae, quibus, cum prius editionem historiae hanseaticae curarem, mihi uti non licuit, sperare me permittit, fore vt opus exhibeam rei accomodatius et veritati propius, cum variis impedimentis, quae priori editioni officiebant remotis, subsidia maiora adsint; cum aetas maturior autorem adiuuet, et disquisitiones in his aliisque eiusdem generis historiis incepto faueant. Vtcumque vero emendationes in opere priora necessariae existant, quas



quidem ego, adiutus eiusmodi subsidiis, tempore succedente proferam; tamen caussa nulla reperta est, cur a sententia antea pronunciata recederem, mentionem nimirum mercium orientis ab uribus foederatis Germanicis aut Hanseaticis per Russiam aut plane locum non habuisse, aut saltem huius mercaturae gratia negotiis Germanorum cum Russia a decimo tertio seculo ad decimum sextum non magnum pondus tributum fuisse. Documenta quidem viginti et quod excurrit annis ante a Dreyero aliisque typis exscripta continebant pauca aut prorsus nihil, quod ad diiudicandam quaestionem hic propositam conferre posset; vix mentio facta est interdum mercium ex Russia a mercatoribus Germanicis aut Hanseaticis eductarum; qua propter tam pauca iudicia certo colligere non permittunt, fieri non posse, vt, cum merces orientis non occurrant; in aliis documentis e tabulariis nondum erutis, reperiantur, si nempe in vniuersum caussam comprobare nolueris, ex qua Germani tunc temporis has merces per alias vias leuiori pretio emere potuerint. Pauca documenta, quae ex illo tempore typis exscripta fuere quaeque hanc mercaturam Russiae cum Germania spectant, nihil continent, quod certi quid praestare possit, verum quoad numerum nullius quoque momenti sunt. At obseruandum est, in scriptis relationibus nondum vulgatis, quasque praecipuas deinde typis exscribere in animo est, vestigia nulla apparere, vnde pateat, orientis mercimonia a Germanis aut Hanseaticis a seculo decimo tertio vsque ad seculum decimum sextum per Russiam importata fuisse. Sat ampla collectio pactorum (recessuum) Hansaticorum in diuersis tabulariis inuenta est, quae partim ad corrigenda saepius vitiosa exempla eorum adhiberi possunt, quae plerumque ex fine seculi decimi quarti in bibliotheca Hafniensi reperiuntur, plurima etiam pacta temporis sequentis in diuersis tabulariis perspicendi, excerptendi et transscribendi occasionem habuimus; at neque in his neque in aliis documentis et actis vlla orientis mercium a Germanis per Russiam importatarum, vestigia reperta fuere,

neque in litteris, quas vrbes mutuo scripserunt, atque inprimis earum, quae occidentem versus positae sunt, cum iis, quae inter septentrionem et orientem iacent, neque in documentis, quae pacta vrbium continent cum magistratibus Nonogrodensibus, nec denique in legibus aulam Germanorum Nouogrodiac spectantibus vllam huius rei mentionem factam deprehendi.

Attamen aduersarii contendere possent, horum omnium documentorum silentium non equiparandum esse negationi definitae; verum enimvero respondere licet, absurdum esse negare, quod nemo tunc temporis affirmauerit. Quodsi vero quis obiiceret, quamuis multae chartae atque membranae tibi praesto fuerint, haec negotia spectantes, nonne fieri possit, vt aliae in Russia reperiantur; quae comprobent a te negata? Hoc procul dubio fieri potest, et ipse unumquemque inuito, atque exhortor, vt in tabulariis a me non exploratis summam operam consumat ad inuenienda argumenta mihi contraria; quae quidem me grato esse accepturum animo profiteor d).

Ceterum, si cogito, multas relationes prelo non commissas, quae nobis praesto fuere, sedulo a nobis perlustratas earumque ambitum, momentum et rationes penitus excussas esse, parum probabile videtur, eiusmodi documenta inueniri posse, quae ad refutandam sententiam nostram faciant. Quodsi ex illo tempore indices portiorum ad haec negotia Germaniae cum Russia pertinentes adeo integri adessent, vt recentiori et nostra tempestate exstant, vti quoque tunc temporis partim pro aliis quibusdam generibus negotiationis Germaniae septentrionalis ad occidentem versae adfluere; ex silentio eorum vniuerso multo certius colligi

---

d) Sententia supra memorata nouissimi Russiae historici testimoniis caret. Quodsi voce *Allemani vrbes foederatae Germaniae septentrionalis* intelliguntur, equidem vellem, vt haec opinio documentis aut aliis fide dignis relationibus adinuaretur.

posset, aduectionem Asiae mercium per Russiam locum non habuisse. Eiusmodi indices autem portoriorum prorsus desunt, et verisimile est, tales ad hoc genus mercaturae Germanicae pertinentes illo tempore nunquam exstitisse. Vnde factum est, vt seculo decimo sexto in conciliis Hanseaticorum affirmaretur, portorii immunitatem vniuersam praecipuum priuilegium negotiationis Germanicae in Russia fuisse. De omnibus generibus mercaturae Germaniae septentrionalis aut Hanseaticorum accuratos et plenos portorii catalogos habemus more hodierno tantum ex ea negotiatione, quam vrbes Germaniae cum Belgis exercebant, eosque iam a seculo decimo tertio, in quibus singulae merces diuersis portoriis oneratae sunt; hi quidem catalogi ad historiam mercaturae huius temporis multum valent, et dolendum est, importationem plerumque cum exportatione adeo mixtam esse, vt certe colligi nequeat, vtrum merces importatae an exportatae designatae sint. In negotiis Germanorum septentrionalium ac Hanseaticorum cum Anglia, de qua magnam copiam documentorum, atque litterarum immunitates largientium habemus, indices portorii ad singula pertinentes non occurrunt. Quaedam merces quidem enumerantur vectigalibus oneratae, ceterum, vt omnes aliae merces quoad vectigalia a pretio pendant, imperatur, idque ea ratione, vt praeter pristina vectigalia (quae *Costumes* vocantur) tres denarii ab vnaquaque libra soluantur. In negotiis Germanorum septentrionalium aut Hanseaticorum cum Dania, Noruegia et Suecia eiusmodi indices portorii imperfecti, ex his temporibus, rarissime occurrunt, vectigalia nominantur, quae a nauibus, ab vsu cubilium piscatorum, ab amphoris atque a nonnullis mercibus, minime ab omnibus, soluenda sunt: at eiusmodi catalogi, qui ad omnes merces et importatas et exportatas spectant, vt in Belgio, tunc non reperiuntur. Eo minus hoc locum habet propter negotiationem Russorum cum Germanis eo tempore, de quo hic sermo est; nam vectigalia generalia, raro occurrentia, quae in aula Nouogrodiae principe a mercatori-

bus soluenda erant, quae naues soluere debebant, huc non pertinent, cum explicationem desideratam praestare nequeant. Secundum omnes relationes nobis hucusque cognitae de hac mercatura idem locum habet, et nisi quid noui reperiatur, statuendum est, omnem spem abiiciendam esse, fore, vt ex adeo perfectis portorii indicibus, quemadmodum in aliis terris reperiuntur, et nunc vulgares sunt, quaestioni certe respondeamus, cum tales hucusque saltem nusquam reperti sint. Verum enimvero in diuersis decretis Hanseaticorum, in mutuo epistolarum commercio urbium, in pactis Germanorum cum magistratibus Nouogrodiae, in catalogis mercium aut captarum aut perditarum, denique praecipue in omnibus legibus aut statutis, curiam Germanorum Nouogrodiae, vel eorum emporium ibidem spectantibus, quae *Scra* vocantur, et in eorum additamentis, vti postea locum habuere, saepenumero merces quidem occurrunt, quae a Germanis ex Russia exportatae sunt, nunquam vero in his mercimonia inueniuntur originem orientis indicantia. In decretis Hanseaticorum non modo, sed longe magis et perfectius in ordinationibus curiae Germanorum Nouogrodiae, *Scra* dictis, multae inueniuntur leges, quarum ope in emendis ibi mercibus cauetur, ne quis mercibus adulterinis decipiatur, verbi causa in emtione pellium, corii, cerae e. a. At nunquam in his variis legibus orientis merces a Germanis aut Hanseaticis coemtae reperiuntur, vnde patet, hic Germanos orientales merces nullas emisse, et si quidem locum habuerit, hanc emtionem, quoad negotia Germanorum cum Russiae incolis, nullius momenti fuisse; cum procul dubio in emtione margaritarum, aromatum, pannorum e. a. ex oriente dolus et fallaciae non minus locum habere possent, quam in emendis Russiae mercibus propriis. Semel modo idque tempore longe posteriori, quam de quo hic sermo est, cum magna Hansa Germanorum vetusta vix nomine constaret, cum nemo vti nostris temporibus, ob merces orientis quasdam per Russiam ab aliis Europaeis euectas, hanc mercaturam

magni aestimaret. Anno 1643, secundum relationes Mss. in Lubecae tabulariis, tres penitus foederatae civitates Hanscuticae, in quibus nunc posita est consociatio, legationem miserunt in Sueciam, et vectigalium deminutionem rogarunt, quae Suecia in exportatione mercium ex Russia euectarum trans Neuum et urbem Naruam exegerat. In hac petitione merces recensentur, quarum portorii deminutionem desiderarunt. In hoc catalogo merces orientis haud reperias, quod demonstrare videtur, Hanscuticos, tunc temporis vt antea, nullas aut paucas forte hac via euectas orientis merces, nullius momenti iudicasse. At in edicto reginae Christinae singulis schedis typis expresso, procul dubio secundum hanc petitionem merces per Naruam euectae vectigali deminuto onerantur, at ita, vt mercimonia in Suecicis nauibus euecta minus soluerent, quam in aliis nauibus; inque hoc catalogo omnino bombyx et stragula Persica reperiuntur, cum omnia reliqua, pelles, coria, sebum, linum, cannabis, stupa, adeps piscium, cera et eiusmodi alia sine dubio originis Russicae sint. In relatione posteriori de negotiis Russorum praecipue per Archangelopolim cum Europaeis occidentalibus, a DE RODE a. 1653 e) scripta, et in alio scripto Suecici J. P. KILBURGERI f), quod hac relatione nititur a. 1674, commemoratur sine dubio euectio quarundam orientis mercium ex Russia per Archangelopolim, nominatim mentio fit bombycis Persicae, rhei ex Bucharia praeter magnam copiam aliarum mercium originis Russicae indubitatae. Ambo autores demonstrare volunt, quam vtilius sit, si loco circuitus longi per

---

e) J. DE RODES *Bedenken über den Russischen Handel im J. 1653. v. Sammlung Russischer Geschichte B. X. St. 1. oder Beiträge zur Kenntniss Russlands, herausgegeben von G. EWERS und M. v. ENGELHARDT. T. I. p. 238 sqq.*

f) BÜSCHINGS *Magazin für die neue Historie etc. T. III. p. 247—341.*

Archangelopolim haec mercatura reducatur in pristinam viam per mare Balthicum, eamque ob rem auxilia et instituta necessaria a Suecis praestentur. Russis quoque exponitur quam salubre sit, complures orientis merces, nominatim Persicas aliasque per Russiam et mare Balthicum exportare, quaque ratione effici possit, ut cum Batauis et Anglis, qui longe aliis viis Europam his mercibus instruant, feliciter certare possint. Simul apparet ex his relationibus, quam saepe negotiatio Russica cum Persis turbata, quibusque difficultatibus onerata fuerit, cum interea mercium vi vocantur Turcicarum inuectio per Moldauienses minus vexata fuisse videatur, et negotiatio inter Russiam et Chinam anno 1654 initium ceperit.

Hac ratione igitur certissime affirmare licet, ad hoc vsque tempus nihil quod magni momenti sit, contra nostram supra laudatam sententiam, in medium prolatum esse, et addere licet, a nobis nihil inuentum esse, quod eam refutaret. Contra in variis relationibus hucusque notis atque typis exscriptis aut exscribendis haud commemorantur; atque magni momenti videtur non minus ratione cognitionis mercium pristinarum quam linguarum, eas singulatim recensere, uti repertae sunt, atque adnotationibus illustrare. Nonnullas ex his mercibus quidem accurate explicare non possumus. Sed utcumque obscura sint et manebunt, luce clarius tamen demonstrare licet, quamuis species mercium saepius certo enucleari e verbis non possit, genus tamen certissime posse, deque orientis mercibus nusquam sermonem esse. Faciamus itaque periculum.

Euectae fuerunt per quatuor secula a decimo tertio vsque ad decimum sextum a Germanis septentrionalibus s. Hanseaticis imprimis ex Russia pelles, et quidem primum sciurorum griseorum, quas populi Romanae stirpis per medium aeuum *vaio*, *vair* siue *varium*, nostrates *Pehwan* s. *Vehwan*, Franco-Galli nunc *petit-gris* vocant; notat autem vocabulum in veteribus documentis

Hanseaticis Germanice scriptis *schones werk* et *grauwerk*, in latine scriptis vero *opus pulchrum* et *griseum*. Vocabulum *werk* scilicet tunc significabat pelles et coria, ad verbum translatum latine *opus pulchrum* s. *griseum*; pelliones quoque in Germania inferiori hac de re *Buntwerker* vocati fuere. Cum vero res bene nota sit, et saepissime in documentis typis vulgatis et manuscriptis occurrat, ei non immorabimur nec loca adferemus probantia.

Laudantur porro pelles mustelarum, scilicet mustelae martis, ermineae et vulgaris, quae corrupto vocabulo Ruthenico, *lastken* et *lasten g*), designata fuit (a Ruthenico *lisiza*, quod vocabulum in alias occidentis Europae linguas migravit); denique pelles mustelae zibellinae (*sabalen*, *zabelvelle*). Porro pelles lutrarum imprimis species tunc *menken*, *meneken* dicta, nostratibus, corrupto vocabulo Ruthenico, *Noerz* bene nota, i. e. pelles mustelae lutreolae ore albo *h*); dein pelles castorum *i*).

g) In statutis v. g. curiae Nouogrodensis Ms. de a. 1504 occurrunt *Hermelen* (mustelae ermineae) et *lastken*, item *grawe lastken*, cum per hiemem, vti sciuri in Russia, hunc seu album colorem induissent. In statutis eiusdem curiae, *Skra* dictis, et a Marpergero editis (Ius mercator. Lit. G. 273) de a. 1603, iubetur: *Lastken und Hermelken zu kaufen bey Zimmers* (i. e. *timmer*, significans numerum LX pellium) *rein, gut und unverfälscht*. — Apud Franco-Gallos *lasquettes*, et apud Hispanos *piles de lasqui* nominantur v. NEMNICH *Waarenlexicon* I. 99.308. et Eiusd. *Waaren-Encyclop.* III. 149. vbi *piles de lasqui* redduntur Anglice *young ermines*, *Laschützen*, *Felle von jungen Hermelinen*.

h) In negotiationibus Mss., inter Ruthenos et Hanseaticos a. 1423 habitis, laudantur inter alia II *tymmer meneken* s. *menkeuelle*, quas pelles abstulerunt priores; item in statutis a Marpergero editis antea nominatis. Hoc vocabulum quoque apud nos in vsu erat vsque ad finem seculi XVII, v. indicem portorii Stadensem a. 1691 in KLEFEKERS *Samml. hamburgischer Gesetze*, T. VI. p. 319., vbi scribitur *minken*. Nunc vocabulo corrupto Russico vtimur

Alia vocabula paullulum difficiliora, alias pellium species indicantia, quae tamen interpretari possumus, nobis sese obtulerunt. Sic vocabulum *Wymetken* ex Ruthenico *wymetka*, significans deterrimum quidque, de deterioribus pellibus, quae a mercatoribus repudiandae erant, adhibitum fuit *k*). *Harding* et *haerwerk*, quo ultimo vocabulo nostrates quoque utuntur, sunt pili ferarum aut animalium domesticorum, qui fasciatim venduntur *l*). Alia vox

*Noerz*, *Norz*, Russorum *norka*, *norki*. Angli dicunt *mink skins*, Sueci *Mänk*, *Menk* cf. NEMNICH *Waarenlexicon* I. 27. 378. 511.; MOELLER, *Lex. Succ.* h. v. viuetra lutreola ore albo.

- i) In diæta Hanseaticorum a. 1442, Stralesundis habita Mss., vetnere ciuitatum legati, ne emerent mercatores *beuerwammen*, *men alset van den vlesche togen is*.
- k) In negotiationibus Mss. inter Russos et Hansae socios, a. 1509 habitis, postularunt vltimorum legati, vt Rutheni optinae conditionis pelles ermineas et mustelarum vulgariarum (*hermelin und lasten*) offerrent Germanis „*effte ere wymetken dregen*”: cum et Germani tenerentur bonae conditionis merces Ruthenis offerre. Magis adhuc corrumpitur verbum in *Skra* a Marpergero edita, et in huius Mss. in tabulario Lubecensi asseruato de a. 1603, vbi *wynmeydken* et *wynmedken* scribitur. In litteris Mss., quas Hanseatici legatis suis, a. 1598 in Russiam mittendis, dederunt, iubent, vt omnem apud Ruthenos darent operam, ne in posterum misceantur *wynmedekens bloten vnd graw* bonae conditionis pellibus ermineis.
- l) Decreuerunt mercatores in curia Nouogrodensi a. 1346 in festo cathedrae S. Petri: *Neman sal kopen valsch werk noch getogen werk — — eder harwerk dat van ruscen to gemaket si, eder vt anderen werke getoghen si, noch genegede eder ingebundene doyenisse*. — (Scra Ms. in tabular. Lubec. asseruata). — In diæta Hanseaticorum a. 1402 (Recessus Mss. in biblioth. Hafniensi) statutum fuit repetitum his verbis: *vnde van vortogen werke, dat in sinem wesende nicht en is, vnde van harding dat gesthoren vnde velschet is* etc.



*Scheuenesse* s. *Scheuenesse*, (*Seeuenesse* *n*) a Germanico *schaben*, *schaven*, *schween* derivarem atque synonymum esse alius, quae in privilegiis ab Hanseaticis in Flandria, Hollandia et Brabantia impetratis saepe occurrit, scilicet *clippine*, a verbo *clip*, quod et nunc apud Anglos significat abscindere, vnde *clippine* et *Scheuenesse* aut pelles tonsae, aut pili ex pellibus educti, fasciculis ligati et hoc modo venditi. Sub vocibus *doyenissen*, *troynissen* s. *troynisse*, et *umme kort werk* pelles viliores intelligendas esse, per fraudem bonis mixtas, ita vt inducerentur emtores, sat bene constat *n*). Vox dein *lusches werk*, s. *lusz werk* aut pelles lyn-

---

*n*) In diplomatibus Mss. lubet haec adferre: Oldermanni, sapientes et mercatores curiae Nonogrodensis a. 1343 statuerunt: *dat neman kopen scal sceuenissen, den bi dusenden, vnde bi haluen dusenden, vnde bi verden delen*. In privilegio Ms. Margarethae Flandriae comitissae et filii eius Guidonis, eiusdem terrae comitis, Romani imperii mercatoribus concessio a. 1252, et Abeti ducis Bauariae, Hollandiam regentis a. 1358 Ms. et 1363 apud Mieris groot Charterboek D. III. p. 145. millenium *de Scheuenesse* et *Sceuenisse* legas. Quod autem in alio Ms. s. a. ex seculo decimo quarto inscripto „Hi sunt articuli propter Ruthenos” haec vox *Scenevissen* scribitur, puto ex incuria scriptoris prouenisse et *Sceuenisse* legendum esse.

*n*) Lubet adferre nonnulla loca ex manuscriptis: Statuta in diaeta legatorum Hansae theutonicae Lubecae a. 1434, Bonifacii, conclusa seu potius renouata sic se habentia: Nemo emat a Ruthenis *troynissen*, nec vendat *troyennissen van reinem werk*, quisquis vero has pelles adfert, iureiurando adfirmet, quod sine dolo eas emisset ab aliquo, qui non est de Hansa theutonicorum. In diaeta autem legatorum, Lubecae quoque habita, repetierunt haec statuta, quibus addiderunt, nemini licere *troynissen van reinem werke umme (to) steken efft vortogen werk*. In litteris vrbiu Liuoniae, per legatos suos in vrbe Wald congregatarum, ad Lubecam a. 1465 missis, narrant Liuoni, communem mercatorem, Brugis in Flandria residentem, eis scripsisse, quomodo „*men de troyniss van reuen*

eium, aut vulpium indicat o). Restant tria vocabula difficillima, Popelen, Klesem et Annyge p), quorum prius pelles quasdam

*werke vinne steeket vnde uth luet*" atque peliisse tales pelles in fiscum redigere, cui quoque, sequentes antiqua statuta, se adherere declarauerunt Liouii, dummodo de nouo scriptis publicarentur. Explicentur haec sensu difficiliora per alia, quae in privilegiis et statutis communis mercatoris Brugis seu in Flandria degentis, leguntur, quaeque ex Ms. quodam Coloniae Agripp. sub rubro *Aut copiael bouck* asseruato, statutaemporii a. 1356 et 1576 continent, transscriptimus: de pelium fascibus ibi sermo est: „*vnd daer den in ghebonden weren doynissen of ander quade velle vor vul, daer men nicht mede vultoen mochte anders wan bi XV of bi XX na ziner weerde, alst van olders ghewest heft, vnd daer mede beuonden worde, de solde verbort hebben eene mark goldes. — Item weert dat enich man beuonden worde, de werk betoghe, of dat vnder ymande beuonden worde werck, dat betoghen were mit vorsale, in wat steden dat gescheen were, vnd hyr to markede queme, dat is to veruemen, dat he dat vmmekerde vnd verkofte dat int haer, vnd dat ander vor vul verkofte, de solde verboort hebben de vorseide boete*" etc. Obscura, his allatis, clara redduntur. Qui, innumerabiles fere fraudes, in emtione et venditione pelium perpetratas, partim accuratius noscere vult, ei commendamus imprimis J. BECKMANN, *Waarenkunde* II. 251. 269 etc.

- o) Vti *Voss* in Germania inferiori dicitur pro Germ. super. Fuchs, loss, los, luhs pro Luchs, lynx, positum esse iudices; at mallem potius vocem, cum haud dubie pelles vulpium, quoad maximam partem e Russia euectas fuisse constet, nec nomen vulpis in documentis occurrat, a Ruthenorum et Polonorum *lis*, *lisiza*, quod vulpem significat, nostrum *lus* s. *lusch* deriuare.
- p) Vocabulum *Popelen* inuenies in iam laudato statuto curiae Nouogrodensis Ms. de a. 1343: *Neman scal kopen troyenissen den bi dusenden — vnde anders nicht to nemende, mer stucke vor stucke, vnde desgelikes manch popelen.* Ruthenice significat cineres, at nexus alium sensum poscit, ideoque sententiam nostram in textu memoratam, verisimilem admittas. Quod porro attinet ad *klesem*, coniecturam timide quidem addam, deriuandum esse vocabulum ab Islandico *Klasi*, (cf. B. HALDORSONII lexicon Islandico-Latino-Danicum ed. R. K. RASKII h. v.) quod iuncturam, nexum, centonem significat, Danice *Forbindelse*, *Samenföjning*, *Flikvaerk*, quod satis bene quadrat, supplendo pelles, pelium, seu pilorum, fasces. Confirmantur, quae monuimus, verbis supra allatis: „*noch genegede eder ingebundene doyenissen.*" Quod autem ad vltimum verbum spectat, *Annyge*, ne coniecturam quidem audeam.

colore nigro, alterum forsân pellium s. pilorum fascies indicat, tertium nec coniectura interpretari auderem. At quaecumque sint difficultates vltima haec verba recte interpretandi, ex nexu patet, de pellibus aut pilis ex illis eductis, ergo de indigenis Russiae mercibus modo sermonem esse.

Pelles animalium domesticorum et ferarum, quorum cutis non pili imprimis aestimabantur, seu coria a Germanis quoque exportata fuisse, ex documentis patet; inter alia Bohranen corrupte a vocabulo Ruthenico Barányje ovtshinyje, significans pelles ouiles vna cum lana; nostrates dicunt *Barangen*, *Baranken* q). Porro coria illa, quae tum et nunc quoque nomine *Jufflen* et *Saffian* bene nota sunt r), dein cutes Alcium.

Exceptis his pellibus et coriis maximi pretii aestimabatur commercium Ruthenos inter et Germanos ob ceram ex Russia euectam. Fraus in emenda cera non minus timenda erat, quam in emtione pellium; at cum res satis nota sit, ei non immorabimur. Sed de sensu duorum vocabulorum adhuc disputandum erit, quae vna cum cera occurrunt, res indicantia, quae in quodam nexu

Occurrunt autem verba *Annyge*, *klesem* et *lusz werck*, in litteris Mss. in tabulario Lubecens. asseruatis, ab Hansa ad consulem et ducem vrbis Nouogrodiae missis a. 1476, *am sonnauende in den achte dagen des hulgen lichaams*.

- q) In statutis curiae Nouogrodensis, *Scra* dictis, et a Marquardo publici iuris factis de a. 1603 (Ius mercator. Lit. G. 273) inter alia iussum fuit: vt pelles, quae dicantur *Bohranen*, antequam emanant, debeant submitti iudicio rei peritorum, ne dolose illis admixta coria vitulina inperiti emanent. Legatis ad magnum ducem Russiae mittendis a. 1598 (v. supra) idem mandauerunt Hanseatici. Pelles vitulinae in his documentis *Upoike*, *Apeeki* s. *Aperki* vocantur, corrupto vocabulo Ruthenico, *Opoika koshi* seu *opoikowjya koshi*, cf. NEMNICH, *Waaren-Lexic.* I. 378.
- r) In statutis modo nominatis et a Marpergero editis, quoad coria, *Jufflen* dicta, haec adduntur; emtor eorum et quidem heluorum, *Teletein* (rectius *Telätina*) dictorum, caueat, ne loco coriorum bouum aut vaccarum accipiat coria equorum, vocabulum Ruthenicum in Mss. *kunivi*, apud Marquardum *kumin* mendose scribitur, rectius *konnyja koshi*.

cum cera fuisse pro certo habeas. Haec vocabula sunt *Stolpen* et *Swin*, primum a Russorum *Stolpy s) v. Stolby* derivandum esse nullum dubium est, volumen quoddam, nostrum *Rolle*, significans, suppleas speciem adipis, in formam quandam redactam; *Swin*, ex nostro Germanico derivandum esse et adipem suillum indicare satis bene constat. Cera et sebum, in volumen quoddam seu formam redacta venum-dabantur, dolose cerae miscebantur aliae species pinguetudinis, quod ab Hanseaticis interdictum fuit. In curia Nouogrodensi signum quoddam seu sigillum, approbantibus arte peritis, ab oldermannis imprimebatur, quo testarentur cerae bonitatem, quod nunquam quoad pinguita, *Stolpen* et *swin*, locum habuit, quorum libera venditio, nisi cerae miscerentur, vnicuique licita fuit.

Sebum denique, linum et cannabim ex praecipuis mercibus fuisse, quae ex Russia tunc a Germanis exportatae fuerint, constat. Nominantur quoque funes, et filum, ex quo conficiebantur rudentes, dictum *Kabelgaern t)*. Nominantur rarius inter merces ex Russia a Germanis septentrionalibus euectas, adeps piscinus, frumentum, butirum, carnes, linteum subtile, damask u) dictum;

e) Labet ex multis aliis sequentia tantum transscribere. Deceuerunt seniores et sapientes curiae Germanorum Nouogrodensis (*Sera Ms.*) anno MCCCXXXII. fer. secunda proxima post conversionis festum b. Pauli: *Dat valsche was, dat mit manigerleye gude gevelschet was, dat en scal neman copen.* — — *Valsch was, dat mit smere, eder mit ekerne, eder mit harpoyse, eder mit buteren, eder mit erwiten — gevelchet were etc.* — *Swin, de ungevelschet sin, de mach men copen na eren werde.* A. MCCCXXXIII. des maeniaghes na paschen: *Witlich si — dat dat was, dat de wasvindere gut vindet — dat dat neman mit sante peters zegele bezegelen sal, den sante peters olderlude siluen.* — *Stolpen eder swin sal men nicht bezegelen.*

t) Angli et nunc dicunt *Cables*. Legati Hansae, in Russiam mittendi, (v. supra) in mandato habuerunt, vt omnem operam darent ad obtinendam bonitatem huius *Kabelgaern* et frumenti.

u) Navis cuiusdam Deden, quae ex portu Naruae vela dedit, munita cum literis securitatis viae, a maguo duce Ruthenorum scriptis, capta et combusta fuit a. 1566 a Labecensibus. Rutheni postulabant restitutionem naui et mercium, inter quas, exceptis pellibus, cera et butiro, nominantur XL arschin Damask i. e. linteum subtile. Ms.

at superius nominatae merces, videlicet pelles, cera, sebum, linum, cannabis tunc, vti etiam nunc, praecipuae erant, ob quas hoc commercium maximi aestimabatur. Cum autem in tot et tam variis documentis, quae mercium ex Russia euectarum mentionem faciunt, ne verbum quidem inuenias, quod indicet merces orientis seu Asiae a Germanis inde exportatas fuisse, sit penes lectorem iudicare, vtrum, quae ab initio et iam ante viginti et quod excurrit annos proposuimus, his confirmata sint, nec ne.

Addamus modo nonnulla, quibus probetur Germanos interdum orientis merces in Russiam adportasse, quamuis lubenter concedam, maximam partem earum Ruthenos ex vicinis Asiae regionibus et Constantinopoli duxisse. Hansae legati, a. 1510 in Moscouiam missi (ex relatione Ms.), cum Naruam venissent, locum magni ducis tenenti in vrbem Iuangularod inter alia semuncias aromatatum dono dederunt. Ex literis Lubecensium Ms. a. 1584, IV. Iun. ad magistratum vrbis Naruae percipimus, quendam Germanum nomine Siekman principi cuidam Ruthenico vendidisse inter alia pannum aureum, vti vocatur, atque margaritas; permutando accepit linum et auenam. In statutis vero curiae Nouogrodenensis a Marpergero editis de a. 1603 iubebatur Hanseaticis, vt merces aduehant bonas non falsas, inter quas et serica nominantur; porro iussum fuit Germanis ibi bombycina minime vendere in minores partes diuisa, nec illa metiri cum vlna aut Arschin, sed copiam modo (*en gros*) vendere, ne Rutheni, quibus mercatura minuta permissa fuit, offenderentur.

Permulta insuper loca adferre possemus, quibus probaretur, Hanseaticos orientis merces per haec quatuor secula in Scandinaviam plerumque attulisse; cum autem nemo hanc rem in dubium vocet, quae monuimus, sufficiant.

---

---

JOSEPHI DE HAMMER  
COMMENTATIO  
DE BYZANTINAE HISTORIAE  
VLTIMIS SCRIPTORIBUS EX  
HISTORIA OSMANICA ELUCIDANDIS  
ET CORRIGENDIS.

EXHIBITA IN CONSESSU M. APRILIS MDCCCXXV.

---

**M**ulti sunt quidem scriptorum Byzantinorum antiquorum loci, qui ex historicis arabicis corrigi et elucidari possunt, sed plurimi in vltimis imperii orientalis scriptoribus ad quos elucidandos et corrigendos corpus Historicorum Osmanicorum vberimam praebet materiam.

Ex his quatuor inprimis nominandi, qui origini stirpis Osmanticae contemporanei historiam eiusdem aut ex traditionibus, aut qua testes rerum partim ab ipsis gestarum, conscripsere, quales sunt: PACHYMERES, DUCAS, THRAMES et CHALCONDYLAS, nec non NICEPHORUS GREGORAS, CANTACUZENUS, ANAGNOSTA de excidio Thessallonic. et LEONARDUS CHIENSIS de expugnacione Constantinopolis.

Fontes hi sunt pretiosissimi multorum euentuum de quibus historici osmanici silent, sed plurima quae ex traditione osmanica accipere, penitus corruerunt, ita, vt non sine studio et per accuratam tantummodo cum scriptoribus osmanicis comparationem intelligi possint. Vt de sphalmatis scribarum et editorum sileam,

quibus quamplurimae nominum et rerum alterationes attribuendae sunt, genuinae tamen Historiae Byzantinae scriptorum hallucinationes tam in nominibus quam in rebus positae, amplissimam suppetunt criticam messem. Sensus autem aliorum ab iisdem recte scriptorum et traditorum solummodo ex comparatione historiographorum Osmanicorum recte enucleari et intelligi potest. De quibus aliqua ex praefatis quatuor scriptoribus et praesertim ex Chalcondyla exempla depromere, primo de *nominibus* et deinde *rebus* disserere liceat.

Vulgo omnium et cultarum et barbararum nationum hoc aequae vitium inhaeret, ut nomina extranea in formam suae linguae corrumpat, ac, si facile fieri potest, ita alteret, ut sonus nominis extranei, alicui in lingua sua propria sensui accommodetur. Testimonia huius veritatis in tot tantisque nominibus locorum obviam sunt *a*).

Quid mirum quod in ore Byzantinorum de quorum odio erga barbara quamquam Christianorum populorum nomina Anna Comnena luculentum nobis testimonium conseruavit, tot tantasque nominum arabicorum, turcicorumque corruptelas deprehendamus, quorum veram scribendi et pronuntiandi rationem in orientalibus eiusdem historiae scriptoribus indagare debemus.

Quid mirum igitur quod Pachymeres, vetustior aliis tribus scriptoribus, et magis alienus quam illi ab omni cum Infidelibus

---

*a*) Ut aliqua solummodo citem:

Turcae locum *του αγιου Νικολαιου* in AINEGOL, i. e. lacum specularum; insulam Semos in SUSAM, i. e. Sesami insulam; Ciliciam in ITSCHIL i. e. regionem interiorum; Caucasum in CASTAGHI, i. e. montem anserinum; Petreion in BODRUN i. e. cisternam seu scrobem; fluvium Omiram in MURADSSU i. e. fluvium voluntatis, aut *του* Murad; urbem *Ακροβα* in ACOVA i. e. altam vallem; Hadriano-  
polin in BOLI i. e. spatiosam etc. transformarunt.

communicatione, etiam omnium corruptissimus *Tataros* in *Tochares*, et *Turcas* continuo in *Persas* transformet. Mirandum potius quod **DUCAS**, **CHALCONDYLAS** et **PHRANZE**, omnes tres repetitis vicibus oratores ad Sultanum *Turcarum*, omnes tres litteris imbuti et doctrinae Mahomedanicae non penitus ignari, nomina eorum genuina non melius expresserint, nisi forsitan tota corruptio non iis, sed solummodo scribis attribuenda est.

In *Pachymere* *ταγρολιπιξ* pro *Ertogrule*; *Απαγας* (VII. 22.) pro *Abaka Chan*; *Ρουκρατινης* (III. 24. 25.) pro *Rukneddin*; *Ιαφατινης* pro *Ghaiasseddin*; *Χαρμπαντας* (VII. 28.) pro *Chodabende*; *Κανιν* (v. c. 16. p. 281.) pro *Kaan* siue *Chan*, fere omnes iam cogniti sunt; minus **HEPTARCHAE**, quos *Seldjukidarum*, imperium inter se diidentes dein *osmanica* dynastia deglutiuit. Nomina illorum *Schlözerus* in *horis subseciuis historicis*, ex **PACHYMERE**, **NICEPHORO GREGORA**, **CHALCONDYLA**, **DUCA** et **PHRANZE** quidem collegit, sed propria eorundem nomina, quae hodieum in prouinciarum *Asiæ minoris* nominibus supersunt non explicuit, quae si cognouisset minus de autoritate historica originum *osmanicarum* dubitasset.

Sunt illi: **Ατιναι** hodie *Sandjak Aidin*; **Μανταχιοι** hodie *S. Mentesche*; **Σαρχανη** hodie *S. Saruchan*; **Καρασης** hodie *S. Karassi*; **Καρμανιον** (*Pachym. V. c. 25. p. 30.*) hodie *Kermian*; **Αμούριοσ** aut **Αμουρπεκισ** (*Cant. I. 288.*) non *Omer* sed *Vmur* <sup>بمور</sup>; **Αλισυρας** (*Pach. V. c. 25.*) *Alischir*; **Αλαιδες** *Alaeddin*; **Χετηρ**, *Chizr.* (*Cantaçuz. II. c. 29. p. 229.*) **Ατμαν**, *Osman*; sic **Πηγαι** (*Pachym. V. p. 289.*) hodie *Biga b*).

---

b) Apud *Chalcondylan II. p. 34. Edit. Lut.*, *Αιδηνην* i. e. *Aidin*; *Σαρχανην* i. e. *Saruchan*; *Μενδεσιαν* i. e. *Mentesche*; *Τετην* i. e. *Tekke* et *Μετινην*; dein *Αλουσουριον* i. e. *Alischur*, et *Τουργουτew* i. e. *Turghud.*



Quis Pachymeris *Αταρης* sit, qui castellum *Τρικοκιαν* in vicinia Nicaeae expugnauit, penitus lateret, nisi scriptores historiae osmanicae, (*EDRIS*, *NESCHIRI*, *SEADEDDIN.*) expugnationem arcis *KONSCHA HISSAR* ad Niceam per *ARTIMUR*, *Osmani* nepotem referrent; ex iisdem discimus locum *Βαφειον* ad quem *Μουζαλο* primam ab *Osmanio* cladem expertus, hodie *KUJUN HISSARI* dici; sic in *κατοικεια* (*Pachym.* p. 417. 288.) hodie *KETE* ad ripam *Niluferi* ex *Olympo* descendentes recognoscitur.

In duorum locorum *Αγγελοκωμα* et *Μελογγεια* de quibus apud Pachymerem in originibus historiae osmanicae repetita mentio incidit, situ eruendo frustra desudandum foret, nisi eadem facta *Osmanici* historici referrent de *AINEGÜL* et *KARADJA HISSAR*; cuius vltimum nomen significationem *μελας* in *KARA* i. e. niger conseruauit.

Lumen igitur, quod Byzantini in geographiam medii aevi affundunt, vnice ex eorum cum *Historiographis* et *Geographis* orientalibus comparatione obtineri potest. Quod monstrum illud *Σαβουλεν δε μαναλεον* (*Theophylacti*, l. I. c. 11. p. 46.) aut *Σαβουλεν τι καναλιν* (l. VI. c. 5. p. 149.) sit, quis deuinaret, sine geographiae osmanicae του *HADJI KALFA* cum illa descriptione *Haemi* comparatione, ex qua constat, illud hodie *TSCHALI KAWAK* dici. Cum iam deuius *Haemi* rupes pede barbaro lustrem, et aliam antiquissimam eius celebratam faucem in osmanicis *Historicis* et *Geographis* agnoscere liceat. Est nimirum ille ab *Ammiano Marcellino* celebratus angiportus *Succi* i. e. *Porta Traiani*, quem hodie incolae *Ssu DERBEND* i. e. angiportum aquae vocant conseruata antiqui nominis dimidia parte *Su*, sed immutata eiusdem significatione in turcicum *Ssu* i. e. aqua.

Proxime huic angiportui ab Oriente fauces apud *Ducam* sub nomine *Ιζλατη* (*XXXII.* p. 122.) occurrunt, adiecta ratione denominationis, quod *aurum* significet; veritatem huius commentii vox slauica

slauica SLATIZA abunde demonstrat, et angiportus ille et hodie ISSLADI apud Turcas audit *e*).

Sed vt de geographicis ad historica, de locorum nominibus ad nomina virorum redeamus, inuenimus in Chalcondyla, Duca et Phranze filium Muradis I. a patre enecatium, quem primus Σιαουvs, secundus Σαβουτζιος (C. XII. p. 22.) tertius Μωση Τζελεπης i. e. MUSSA TSCHELLEBI (c. 12.) nominat. Sed non solummodo in nomine sed etiam de fato eiusdem discordant hi tres scriptores cum Phranze illum obtruncatum *d*) Ducas excoecatium fuisse referat. (C. XII. p. 22.).

Hanc litem scriptores Osmanici dirimunt. Nam narrant sup-  
plicium του SAWEDSCHI  $\varphi\beta\lambda\omega$  filii Muradis I. (in tabulis genealogicis Hadji Calfae ad annum  $\frac{788}{875}$  relatum) ita vt clarum sit, Phranzen hunc SAWEDSCHI cum filio Bajazedis I, Mussa Tschelebi, Ducam vero cum GUNDUS fratre Osmanis confundere, cum hunc, et non Sawedschium, rebellem declarat *e*).

Ducas (p. 7.) in orthographia nominum orientalium ex omnibus Byzantinis correctissimus Principes prouinciarum AIDIN, SARUCRAN, et KARASSI, Ιεσαι, Χηδης et Ελιες nominat, quos penes

- c*) Haec si duo alias maxime aestumandi historiae vngaricae scriptores ENGEL nimirum et KATONA eruere potuissent, ille in descriptione *expeditionis longae Hunyadis* non tantum geographicè hallucinatione fuisset, hic non BONFINIO aut potius fonti eiusdem CALLIMACHO *Experienti* ignorantiam geographicam obiecisset, cum vtriusque descriptio geographica regionis cum Duca et historicis Osmanicis optime consentiat. Engel (in hist. Servinae) proelia et loca multiplicat, primum proelium ad SATNIZAM, secundum ad Haemum ponens, cum SATNIZA ex Haemo scaturiat, quo Hunyades primum transgressis vrbibus NISSA et SOPHIA et non, vt Engel narrat, traiecto Danubio ante Nissam venit.

*d*) *Και ὁ Ἀμυρας εὐθὺς τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀπεκεφαλίσεν.* Phr. 12.

*e*) *Ἐξορτυττε τοὺς οφθαλμοὺς τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Κουμπουζου.*

historicos ottomanicos sine labore in ISSA, CHINDIR, et ELIAS recognoscere licet. Alius Iesus seu Issa est filius Bajazedis qui iuxta Ducam *f*) (XVIII. p. 13. ult. l.) a Τεμηρτες i. e. Beglerbeho Timurtasch nomine Mohammedis I. caesus conficitur, apud Chalcondylan a fratre Μουσουλμανω i. e. Suleimane perimitur (l. IV. initio) cui etiam Phranzes consentit *g*). Omnes errauere, cum Annales Osmanici, et nominatim Hadji Calla in tabulis genealogicis, interitum του Issa nec per Suleimanem nec per Mohammedem, sed post proelium cum fratre MUSSA commissum ad annum  $\frac{805}{1402}$  referant.

Rectius duos eventus του Τζινειτ i. e. DSCHÜNEID filii Καρασουπασσης i. e. του ΚΑΡΑΣΥΒΑΣΧΙ refert (XVIII. p. 43.).

Famosissimum Turcarum ducem ΕΥΡΕΝΟΣ prius *Honorium* vocatum fuisse (vt Leunclavius et alii volunt) non puto, cum et Chalcondylas ipse illum Βρενεζης vocet. Nomina filiorum eiusdem (IV. p. 97.) sequentia memorat: Αγαθος quod AGASSI esse videtur, omisso nomine proprio; Βαράμος i. e. BEHRAM; Αλιης i. e. Ali; Βεικης i. e. Bey iterum vt superius ΑΓΑ nomen dignitatis pro nomine proprio, et Ιησους i. e. Issa *h*).

*f*) Και τον Ιησουν ζωορησαι διεχρήσατο βασιλευσαντα εν τη τεσσαρα (Ch. IV. p. 91.).

*g*) 'Ο δε (Μουσουλμανος Suleiman) εναπεπνηξεν αυτον σταθεις εν τη ἀρχη μηνος ολιγους (I. 27.).

*h*) In BEHRAM et BEY Chalcondylas το β per β simplicius sed minus recte exprimit (cum β = ω sonet in ore Graecorum), quam Phranze, qui Beglerbegum Bajezidis Μπεγλιρηπει Μπαγιαζητου scribit (I. 39. ed. Alteri p. 28.). Ducas (cum Graeci praeter aspirationem litteram nullam pro τω *H* habeant) pro HAD̄SCHI AIWAT Χατζιανβατ scribit (XXV. p. 92.) sed perperam. Germani, cum lingua germanica nec τω *Ha* nec τω *Ch* coreat, primae secundam substituunt, ac loco ΑΗΜΕD, ΑCHMET scribunt; si hoc recte, etiam Mochammed scribere deberent, quia Graeci Μαχουμετι et Ρασουλ pro Ressel.

In obsidione Constantinopolitana a Canano descripta Βεχαρ occurrit cum cognomine Μηρσαιτης; quem iterum ex historicis Osmanicis cum vero suo nomine et cognomine Βυχαρι cognomine ΕΜΙΡ SULTAN eruimus, SCHEICHUM celeberrimum cuius sepulcrum et hodie Prusae magno in cultu.

Nomen IENITZERI, qui in clade Varnensi caput Regis Hungariae absedit, a Chalcondyla Θεριζης, a Phranze Χαμουζα referitur, quorum illud in turcico ΤΙΡΗΣ, hoc ex ΗΑΜΣΑ mutilatum esse videtur; sed neutrum verum nomen, quod scriptores orientales (Seadeddin in trad. Brat. II. 96.) ΚΟΝΣΧΑ ΧΙΣΚ referunt.

Sic etiam illa inter Ducan, Chalcondylan, et Phranzen discrepantia de nomine primi Mohamedis II. Veziri, quem primus Χαλιλ, secundus Χατιτ, tertius Αλιμπασιας vocat, per Historicos ottomanicos in fauorem primi deceditur, ita vt plane appareat, Χατιτ ex errore scribae, qui το λ in τ transformauit, ortum, Phranzen autem in toto nomine hallucinatum fuisse.

Phranzes loco Σαγανασπασια, quem Ducas recte scribit Σογαμπασιας substituit, nam ille castelli ad Bosporum fabricator et tormenti immensi regii conflator rite apud Turcas SAGANOS زغنوس audit, ita vt terminatio os non pro nominatio graeco habenda sit, vt a Phranze habita est.

Si nominum propriorum orthographia ad rectum historiae studium plurimum confert, non minus in nominibus dignitatum et officiorum historicorum laborandum, quae hucusque a nemine enucleata, per rudem Byzantinorum aut scribarum sphalmographiam obscurata delituere, e quibus hic aliqua perlustrare liceat.

Iam supra diximus Chalcondylam nomen principis SAWEDSCHII filii Μοραδι I. in Σιαους mutasse, illud cum nomine officii i. e. TSCHAUSCHII confundens, quod ab antiquissimo tempore non solum in aula regum Asiaticorum, sed ad imitationem illorum etiam in aula Byzantina vigeat. Μεγας Τζαους (apud Pachymerem l. VII.

c. 1. l. XII. c. 30. l. XIII. c. 22.) officium aulae byzantinae erat, vt *Μεγας Δραγομαρος* (apud Codin.) cuius titulum interpretes aulae Ottomanicae in subscriptionibus epistolarum Sultanicarum ab illis translatarum in *Summus Interpres* commutarunt. TSCHAUSCHI ab antiquissimo imperii Ottomanici tempore officio nuntiorum et ducum viae fungebantur, quare etiam nonnunquam *KULAIUS* i. e. *duces viae* nuncupati, vt apud Cantacuzenum (II. c. 8) *Κολαουζης Σαλλιγγαρι*, qui eodem loco heroem turcicum ARDSCHKE KODSCHIA in *Καταγαλαος Πατατουρης* transformat i).

Depraedatores et vastatores (ab Italis *guastadori* vocati) Osmanicorum exercituum in omnibus historiis Ottomanicis, ab Italis vt PAOLO GIOVIO, CAMBINI, MENAVINO, conscriptis, sub nomine ARKANDSCHI k) celeberrimi sunt. Originem vocis Ducas recte explicat, cum illud ab *επιδρομη*, quae turcice AKIN dicitur, deriuari doceat l).

i) Tschauschii qua introductores ad solium regium et nomenclatores eodem officio funguntur, quo SACAS in Cyropaedia; et hodie oratores ad Portam Ottomanicam per TSCHAUSCH-BASCHI (*Μεγας Τζιαους*) introducuntur.

k) Il resto de' caualli turchi sono auenturieri senza soldo chiamati ALCANZI, quali sono di natura gran ladroni e *stradioti* crudeli. (Paolo Giouio).

l) *Προς επιδρομην ο καλειται κατα των αυτων γλωτταν Ακηνη.* (Ducas. XXXIII. p. 75.) Ducas recte etiam MUSULMANOS (fideles) et KAUREDES (infideles) distinguit: *ως ον εστι καλον Μουσουλμανων παιδας τρεφεσαι παρα καβουριδων.* (XXXII. p. 74.) Recte clamorem fanaticorum *τετε Σουλταν ερης* (XXI. p. 63.), interpretatur, cum turcice, DEDE SULTAN IRISCH *دده سلطان ايريس* i. e. DEDE SULTAN VENI, significet; et iterum (XXVI. p. 96.)

*Τουρονν, τουρονν κατξιμαν*, Sistite non fugite, cum *طورك طورك قاجماك* TURUN, TURUN KATSCHMAN hoc reapse significet et (XXXV. p. 141.) *χαβουρ οραγι* (lege KIAUR JOLDASCHI) *συντροφος των αισιων.*

Praeter Ζηχιδες i. e. SCLEICHOS sequentia militiarum genera a Chalcondyla enumerantur:

Αζαπιδες i. e. Asabi, (Caelebes).

Σπαχιδες i. e. Spahi, (equites).

Αλοφατξιδες i. e. Vlufedschi (stipendiarii).

Συλικταριδες i. e. Silihdarii (armigeri).

Σαραχοριδες i. e. Silaschor (armamentarii).

Καριπιδες i. e. Gharib (extranei).

Σημειοφοροι i. e. Sandjaki (vexilliferi).

Αγιαδες i. e. Akkiam (tentorum explicatores).

(Chalc. l. V. et l. VII.). Milites portae Chalcondylas recte επι της Θυρας nominat, et nouos delectus νεηλυδας, sub quibus autem non iam IENITSCHERI, sed eorum candidati i. e. ADSCHEM OGLAN intelligendi sunt *m*).

Dimissis nominibus res ipsas perlüstremus et aliqua de singulari in Byzantinis confusione rerum, quae ex defectuosa orien-

*m*) Hoc Adschem  $\text{آدشهم}$  non cum nomine Persarum  $\text{پارس}$  confundendum.

Hoc cum Graecorum ACHAEMENE, illud cum voce αχημα consentit. Militiarum praefatarum genera Vid. in: *Osmanischen Reichs Staatsverfassung u. Staatsverwaltung* aut in MOURADJA D'OHSSON tomo III fol. His ex scriptoribus orientalibus explicandis nominibus alienis Chalcondylae ex Europaeis explicandum nomen hic adiungere liceat, in quo explicando multi, praesertim autem KATONA, desudauit. In Hunyadis proelio (l. VII. p. 178.) και Ιωαννης μεν ο Χωνιατης εχων την φαξην τους Βιταξινας καλουμενους. Katona hic IAZYGES et PHILISTAEOS somniat cum Βιταξινας pro Ιητξιγους scriptos autumet. Miror nemini BITAXAS Ammiani Marcellini obuios fuisse; sed nec ex eo, sed ex denominatione italo-germanica rei bellicae medii aevi explicationem huius monstri repetendam esse existimò, την φαξην la faction esse puto, vnde et hodie le factionnaire, et Βιταξινας nil aliud quam: Büchsen fuisse credo. Bitaxae autem Marcellini sunt ΒΙΤΙΚΔΙ Scheriffedini i. e. Secretarii imperiales. (Histoire de Timurbec V. 51. t. IV. p. 27.).

talium scriptorum et linguarum cognitione originem trahit, exempla afferamus.

Mohamedes I. in omnibus historicis Europaeis antiquis CALEPINUS aut KYRCELEBI audit, in aliis, ut in seruis *n*), rectius KRISCHTSCHA, KRISCHTELD, TSHIRISLA profertur. CALEPINUM ex turcico TSCHELEBI, i. e. ephebo, corruptum esse constat, sed quid illud Kyr aut KIRISCHDSCH, penitus adhuc Europaeos historiae scriptores fugit.

Cantemirus linguarum orientalium, geographiae asiaticae, historiaeque ottomanicae ignorantissimus, ut alia sic hoc KYRCELEBI quasi repetitam vocis *domini* ex *Kugios* et Tschelebi conflatam repetitionem suo modo explicat; sed quid reapse sit, et quomodo originale hoc cognomen iam a Byzantinis male intellectum fuerit, hic demonstrare haud absonum erit.

Cognomen turcice KÜRISCHDSCHI sonat, i. e. luctatorem, et AALI praestantissimus historiae ottomanicae scriptor, quem Cantemirus bene meritis laudibus effert *o*), de ratione huius cognominis rationem reddit, cum illud iuveni principi ob excellentiam in arte luctandi inditum fuisse doceat. Per corruptam aliquam pronuntiationem haec vox in ipso Oriente nonnunquam KIRISCHDSCHI sonat, quod aliam significationem nimirum *chordarii* prae se fert. Sic hanc vocem etiam in gallica Schereffeddini historiae Timuris translatione pronuntiata inuenimus *p*), quod et ideo hic adducere iuuat, quia probat, hoc cognomen iam iuveni principi, viuento patre Bajezide, proprium et non, ut scriptor turcicus quidam vult, post

*n*) Engel's Geschichte Seruiens. p. 563.

*o*) Cantemir. (Paris 1763. I. p. 117. 119. 120.)

*p*) Histoire de Timurbec par Petit de la Croix l. V. Chap. 46. tom. 4. pag. 10.; l. V. Chap. 15. tom. 3. p. 265. KIRICHTCHI, le plus sage de ses cinq fils nommé Mehemed Chelebi, et surnommé KIRICHTCHI.

mortem fratris, quem chorda arcus iugulari iusserit, a modo necis inditum fuisse.

CHALCONDYLAS, qui vocem KIRISCHDSCHI, vt chordae tentorem intellexerat, ex illa fabulam confugit de chordario quodam (Χορδοπιου τινος) aut de Mohammede ipso chordario, Μεχμετης μεν ο Χορδινης (Chalc. edit. Lut. l. IV. p. 96.) et Phranzes chordarium in arcuum fabricatorem transmutat, μετα τινος τεχνιτης τοξοποιου (Phranz. l. I. c. 29. ed. Alb. p. 20.). Ecce ex luctatore (Kirischdschi) cordarium (Kirischdschi), ex cordario arcuum fabricatorem ortum; Galli ottomanicae historiae scriptores Χορδινην alio modo interpretantes, illum *joueur de luth* fuisse intellexere, quae singularis confusio ex nullo alio fonte quam defectuosa vocis KIRISCHDSCHI pronuntiatione et interpretatione defluxit, quae ex luctatore, cordarium, arcitenentem et musicum fecit.

Aliud huius farinae exemplum in libro III. Chalcondylae occurrit, vbi in graeco latinoque sermone legimus „*maritus si parum dextere erga uxorem fuerit affectus ei edicit se a tribus splenibus ab ipsa auellendum*” q). Quis haec intelligit errorem-

---

q) *Αν τε αχθειςθειη τη γυναικι σου ο ανηρ, επιπειη του λοιπου απο τριων σπληνων αποχεθαι αυτην.* Chalc. l. III. edit. Lut. p. 65.

Simile huic aenigma ex corrupto textu Chalcondylae in sequenti eiusdem translationis loco in lucem prodit; legimus (edit. lut. p. 122. lib. V.) tria aliquando regi tentoria poni ex argilla rubea et inaurata: - *οτε δε και τρεις ιδρυνται αυτω τη βασιλει απο πηλου ερυθρου χρυσοαστοι.* Quis vnquam tentoria ex argilla vidit, quae sane nusquam exstiterē, sed ea falsa πηλου pro πιλου, i. e. paumi ex pillis coactilibus (Pillz), lectione originem duxere. In alio loco (l. VIII. edit. Lut. p. 204.) reapse *Στεγασματα πιλοις λευκοις τε και ερυθροις* inueniuntur, quae translator nihilominus in pluteos ex *luto* rubro et albo conuertit.

Huic Conradi Clauseri Tigurini interpretis Chalcondylae sphalmati aliud adiungamus, cuius fontem nec clarissimi Gibboni critica detexit; nam etiamsi latitudinem pontis 50 vlnarum dubitauerit, et „*rather*



que Chalcondylae ex superficiali linguae arabicae cognitione ortum diuinare potest, si nescit vocem arabicam *Thalar* i. e. diuertium, etiam *splen* significare, formulamque repudii irreuocabilis in ter repetita voce *talaktu anke* i. e. *repudiani te* consistere.

Haec carptim ex Byzantinis citata exempla etiamsi iam abunde demonstrent quantum ad illos elucidandos et corrigendos linguae et historiae orientalis adiumenta suppeditent, ad conclusionem huius commentationis vnum tamen Chalcondylae, qui ex omnibus Byzantinis rerum orientalium alias peritissimus, locum in integro adiciam ac necessariis, quae eiusdem errores illustrant, commentis illustrabo. Est hic finis tertii libri Chalcondylae de successoribus Timuri, qui locus minoribus erroribus nominum quam rerum scatet.

„Haud tamen multo post excedente e viuis Sachrucho (Schah-  
„ruch) PAJANGURES Timuris filius natus minimus regno potitus est.”  
PAJANGURES i. e. BAIANKOR, non filius sed nepos Timuri ex Scharochro, numquam regno potitus est, sed solummodo in Kandahar gubernauit r).

„Vnde ei non admodum bene cum fratribus conuenit verum  
„inimicitiae intra ipsos exarserunt. ULIES enim *Caddusiaeorum*

*a mole*” adiecerit „*fifty cubits in breadth*” sphaema copistae τὸν Phranzis facile ex comparatione cum Duca (XXXVIII. in fine) eruere potuisset, qui, de eodem ponte loquens, illum eae latitudinis fuisse dicit, quod quinque equites simul transire possent; ex quo 50 vlnas in 5 commutari debere constat. Aliud historiae Gibbonis sphaema, quod tormentarium *Hungarum Orbanem* in Danum commutat, sane typhotetae tribuendum, qui a *Dace* in a *Dane* transformauit. Ὁρβανὸς Δαξ τὸ γένος Chal. apud Ducam (XXXV.) τὸ γένος Οὐγγροῦ.

- r) Vox BAIANKOR eadem esse videtur, quae in Iustino (II. 4.) occurrit, nomen principis scythici: mittit cum ingenti equitatu filium PANASAGORUM in auxilium.

„regionem et HYRCANTAM retinens, inimicitias suscipiens aduersus  
 „fratrem ABDULATUPIEM cum eo bellum gerebat. PAJANGURES ad-  
 „ueniens regionem ei adinebat et ipsum captum in carcerem  
 „misit.”

ULGES (Ουλιγης) i. e. Ulughbeg, reapse frater Baisankori Samar-  
 kandae dominus, non a fratre Baisankor sed a filio ABDOLLATIFI  
 (Αβδολατουφης) throno et vita exutus.

„Mortuo dein Bajangure ad regni moderamen euasit Tzokies.”

Mortuo BAIANKORO duo quidem eius filii BABER et MAHMUD  
 thronum ascenderunt, sed neuter duorum TSCHOKIORUM, quorum  
 vnus frater BAIANKORI, alter filius ABDOLLATIFI.

„Cum hoc affinitatem iungens PAEMPURES vnus de numero  
 „nouem regum et conuersus regnum occupauit.”

Παιμπουρης est BABER, non fundator imperii Timuridarum in  
 India, sed filius Baisankori, dominus in Transoxana.

„Oppressis enim et occupatis Samarchandae rebus, con-  
 „tractis etiam Indorum auxiliis bello petiit Tzokium Bajanguris  
 „filium.”


Baisankoro, vt supra diximus, nullus huius nominis filius fuit.

„Tzokies adducens Scythas Assyriorumque regioni imperaus  
 „contra fratrem PAJANGUREM bellum mouit.”

Hic TSCHOKI, qui superius filius Baisankori dicitur, frater  
 eiusdem euadit.

„In hoc bello victor exstitit et Samarchandam in ditionem  
 „accepit. Nec multo post in belli societatem adhibito vno de  
 „numero nouem regum, et regia sede in Tabreze (Tabris), Assy-  
 „riorum vrbe opulenta, constituta bello lacessebat Leucariae du-  
 „cem; etiam Samachiam urbem CARAILUCIS regiam oppugnabat.”

De hoc bello Tschokii cum CARAJULUK i. e. nigra hirudine, principe fundatore dynastiae veruecis albi (Akkojunlei) quos Chalcondylas λευκαγιας nominat, fontes mihi noti historiae orientalis silent, nec vllum vestigium ΤΖΟΚΙΟΥ Τεβρισι resedissee inuenio.

„TABREZE autem fertur vrbs esse magna et opibus florentissima, etiam omnes Asiae vrbes extra Samarchandam opum accessu et reliqua felicitate antecedere noscitur. Vermiculos alit illa regio e quibus sericum producitur pulcherrimum, quod longe praestat ei serico, quod Samachia suppedat. Fert quoque CRIMISIN (Karmesin) isto nomine vermiculum, qui purpureum colorem admiratione dignum tribuit vestibus ex filis e serico contextis. Abundat autem regio Persis, quos AZTAMIOS vocant (Adschem ). Quotquot enim Atzamiorum Persarum lingua vtuntur, omnes hi Persae sunt, et Persarum linguam in vsu habent. Incolunt TABREZEM, CAGRINUM et NIGETIAM vrbes opulentas in Assyriorum et Medorum regionibus sitas; Samachia autem, cuius situs est versus Armeniam, vrbs perhibetur opulenta et populosa.”

Ταβρεζη i. e. TEBRIS, et Σαμαχια i. e. SCHAMACHIE notissimae vrbes, sed quid Καγιινος, et Νιγεζηη velit, ignoro, nisi forte sub his duo Cappadociae vrbes KANGRI nimirum et NIKDE intelligi debeant.

„Ex filia Tzokii, quae matrimonio iuncta fuit CHARAISUPHI, natus est TZANISAS, Tzokii nepos et CARAISUPHI filius.”

De matrimonio filiae Tschokii cum Καραισουφεω i. e. nigro Josepho (Kara Jussuf) secundo dynastiae nigri veruecis (Kara Kojunlii) principe, in historiis orientalibus mihi notis nulla quidem mentio occurrit; sed filius et secundus NIGRI JOSEPHI successor

fuit **DSCIHANSCHACH** i. e. Rex mundi, quem Chalcondylas Τζανισας enunciat.

„Is *Pagdadiam, Babylonem* rexit, et Assyriorum regionem „iure belli possidens, Tabrezem suo imperio addidit. Arma item „**PALMPERIS** filio intulit; profectus contra **ERTZINGANINI** urbem, „eam oppugnatione cepit; Armeniam, quae iacet intra Euphratem, „in ditionem suam redegit.”

Mirza **Dschihanschach** a Sultano Scharoch dominio prouinciae **Azerbeidjanae** inuestitus mox Iraccae persicae dominus euasit, vt **DSCHENABI** et **NOCHIBETOL-TEWARICH** docent. Arma dein contra Mirsa Ibrahim, filium του **Alaeddwlet** filii **Baisankoris** adeoque nepotem, non, vt Chalcondylas vult, filium **Baisankoris** mouit, et **Αστζζγανη** i. e. urbem **ERSENDSCHAN** occupauit.

„Hinc **Tzokii** filius profectus a **Semarchanda**, **Babylonem** oppugnabat. Ipsum adeuntem praelio vicit. Exinde **Babylonem** „capiens et contra **Tabrezem** exercitum duceus, cum illo bellum „gessit.”

**Tschokio** fratri **Baisankoris** filius quidem fuit nomine **ABUBERR**, sed contra illum **Dschihanschah** bellum nullum gessit. Chalcondylas illum cum **Abusaido** confundit, qui ex vrbe **Balch** contra **DSCIHANSCHAH** exercitum duxit, vti **DSCHENABI** et **NOCHIBETOL-TEWARICH** fusius narrant.

„**CHASANES** quidem longus **SCENDERIS**, qui **Artzinganim** tenebat, „nepos existens, et ex familia **CARAILUCIS** regnum Armeniae „adeptus est, adiutus ab **Carailucis** filiis, qui vna cum illo eo „profecti erant. Hi cum a rege **TZANISA**, **Caraisuphis** filio, Sa- „machiae grauissima obsidione premerentur, resque eorum admō- „dum lubricae essent, precibus aggressi sunt **Paimburem**, vt irruer-

„ret in Mediae regionem. Qui facile quod petiuero impetrarunt,  
„nam in Mediam irrupit.”

*Χασανης ὁ μακρος*, turcice *USUN HASSAN* i. e. longus Hassan, ab Hallero sub nomine corrupto *USong* in prototypum propositus, celeberrimus dynastiae *veruecis albi* tertius princeps, et *Σκειδεγ* i. e. Alexander, filius nigri Josephi, dynastiae nigri *veruecis* tertius item princeps fuit. Princeps, quem Chalcondylas hic ironice *PAIMEUREM* vocat, *EBU SAID* fuit, vt historici orientales docent.

„Qui rumor vt perlatus est ad Tzanisam (*Dschihanschah*)  
„obsidionem vrbe abscedens soluit iterque flexit aduersus *PAIM-  
„PUREM* (*Ebu Said*), partim quidem regionem eius in ditionem  
„accipiens, partim vero vastans. *MENDESIAS*, *AIDINES*, *SARCHANES*  
„et *ALLONTES* Bajazetis regionem occuparunt iussu *TEMIRIS*, et in  
„suam singuli redibant regionem. Chasanes, cernens sibi potentiam  
„esse maximam, Armeniam et *TZIAPNIDAS* subegit et pacem inter-  
„cedente cum *Cholchidis* rege fecit.”

Occurrunt hic Heptarcharum illorum nomina qui, a Bajezite e regnis paternis eiecti, fauore protectionis *Timuri* iterum in ea rediure nimirum: *MENTESCHE* (*Μενδεσιας*) *AIDIN* (*Αιδινης*) *SARUCHAN* (*Σαρχανης*) et *Αλουσουριος* (qui hic in *Αλορτος* corruptus) i. e. dominus prouinciae *KERMIAN* seu fori *Caramanorum* s).

Eodem modo vox *Κιαπνιδας* aut *Τζαπνιδας* corrupta est pro regione *Τζανικ* in ora maris nigri orientali sita, et ad regnum *Colchidis* pertinente, quae et hodie audit *Dschanik*, apud alios Byzantinos sub nomine regionis *των Τζανων* occurrit.

---

s) Vide Rennel illustrations of the history of the expedition of Cyrus. p. 26. 28. 30. 31.

Vt Chalcondylae veritas historica in genealogia successorum Timuri vno conspectu facilius comprehendi possit, ac quum nullibi adhuc completa familiae Timuri arbor genealogica existat eandem hic ex historiis SCHEREFEDDINI, DSCHENABI et NOCHIBETOL-TEWARCH concinnatam oculis lectorum subiicimus; abunde his exemplis probatum rati, quantum historici Orientales ad corrigendos et emendandos Byzantinos lumen affundant.

### ARBOS GENEALOGICA

Quatuor filiorum Timuri, DSCHIHANGIR, MIRANSCHAH,  
SCHACHROCH, et SCHEICHI OMAR.

I. DSCHIHANGIR †  $\frac{777}{1373}$

*Pir Mohammed*  
haeres imperii declaratus  
captus a Chalil Sultan a<sup>o</sup>

*Sultan Mohammed*

*Mohamed Dschihangir. Saad Wukas. Jahja.*

$\frac{800}{1406}$

*Kaidu. Chaled. Busendschir. Saad Wukas. Tendscher. Kaiser. Dschihai*

## II. MIRANSCHAH t)

Abubekr, Alendscher, M. Osman. Omar. M. Chalil u). M. Aidjel. Siorgetmisch.

Mirsa Sultan. Ebusaid.

Mesudi. Chalil. Mahmud v). Omar Scheich. M. Sultan Mohammed. M. Ebbubekr.

Ustad Ali. Mirsa Baisankor. M. Baber, fundator Dynastiae in India.

Askermirsa w). Mirsa Kamran. M. Humajun.

M. Dschelaleddin

M. Schach Selim

M. Churemschach Akbar

Dschihangir

Schahdschihan,

Ewrengsit.

Schah Alem.

Dschihandschir.

Mohammed Ferruchsir.

Refied dünja.

Refied dewlet.

Mohammedschah.

Ahmedschah.

Schah Alem II.

t) Schereffedin (V. Histoire de Timurbec, IV. in fine p. 301.) solummodo sex filios Miranschahi recenset; NOCHBETOL - TEWARICH stirpem reliquam familiae suppeditat.

u) Hunc Chalil nepotem Timuri Petit de la Croix l. XV. c. XX. t. III. p. 102. perperam filium Timuri nominat: Aussi avoit il en la personne de Chalil Sultam un fils, digne de lui.





## VI. FILIA BACHTBEGIUM

nupsit principi *Mirke Katlan.*

Filia Miranschahi BEGESSI SULTAN (Histoire de Timur. III. Ch. 28 t. II. p. 154. 409 et 423.) nupsit Mirsa Iskender; unica cuius nomen in Schereffedino occurrit: qui praeterea sine nomine tres filias ONAR-SCHERICH, tres alias MIRANSCHAH, tres PIR-MOHAMMED DSCHIANGIRI, tres MOHAMMED SULTANI, vnam SCHACH-ROCHI, vnam ABUBEKRI, vnam M. CHALILI memorat.

---

---

MEMORIA  
JOANNIS GODOFREDI EICHHORN

IN  
CONSESSU SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM

D. VII. JULII MDCCCXXVII.

COMMENDATA

A

TH. CHRIST. TYCHSEN.

---

**S**i virorum de literis bene meritorum memoriam prosequi iubet coaeorum et collegarum inprimis pietas et gratitudo, hodie sane habemus quod omni studio litemus manibus JOANNIS GODOFREDI EICHHORNII, per XVII. annos huius societatis sodalis meritissimi. Equidem bene sentio quam difficile sit talis viri laudes pro meritis eloqui, et cuperem collegarum aliquem, doctrina et eloquentia me potiozem, hunc locum occupare; sed quum mihi demandatum sit, ut viri clarissimi manibus parentarem, quum praeterea fere XXX. annorum consuetudine et amicitia cum ipso coniunctum esse mihi contigerit, cum denique in eadem huius societatis classe locum occupem: nefas duxi declinare officium tanto viro debitum. In quo Vestra, Auditores, indulgentia mihi exoranda est, ut me, huiusmodi orationibus habendis parum exercitatum, patienter ac benevole audiatis.

In viro, qui non rebus gerendis et muneribus administrandis, sed in literarum studiis, meditando, scribendo et docendo vitam exegit, quum ea, quibus literis profuit, vniuersis spectentur, reliqua, quae ad vitae curriculum pertinent, paucis indicasse suffecerit. Natus fuit Eichhornius noster in Franconia, in pago Dorenzimmern ducatus Hohenlohe, vbi pater eius munere ecclesiastico fungebatur, postea ad prouinciam Superintendentis Weikersheimum euocatus. Lucem adspexit d. XVI. Octobris A. MDCCLII. Post tirocinia in schola Weikershemensi posita gymnasium Heilbronnense adiit, vbi praecceptore vsus est Jo. Rud. Schlegelio, viro docto, pluribus scriptis editis claro. A. MDCCLXX academiam Georgiam Augustam se contulit, vbi lectionibus virorum celeberrimorum quondam et de literis meritissimorum MICHAELIS, WALCHII, MILLERI, SCHLÖZERI, HEXNII auditor interfuit, ab hoc, quem vltimo loco nominauit, etiam inter seminarii philologici sodales numeratus. Absoluto post IV. annos et dimidium academico curriculo a. MDCCLXXIV. statim scholae regendae in Ohrdruf, ducatus Gothani oppido, admotus est. Verum non poterat eiusmodi ingenium scholae cancellis contineri; etenim iam anno sequenti linguarum orientalium professor publicus nominatus est in celebri literarum vniuersitate, quae Jenae floret. Hic statim tam lectionibus habendis quam editis eruditionis speciminibus inclaruit. Sunt illa plerumque volumine exigua, sed argumento et tractatione talia, vt ingenium et eruditionem auctoris satis manifesto indicent, vt de *Cuschaeis* verisimilia a), *historia commercii cum India orientali* b), *Monumenta antiquissimae historiae Arabum post Schultensium* c), *de rei numariae apud Arabes initiis* d), *de literis et historia Sy-*

---

a) Arnstadt 1774. 4.

b) Gotha 1775. 8.

c) Ibid. 1775. 8.

d) Jenae 1776. 4.

rorum e). Plures eiusmodi commentationes continet *Repertorium* literarum biblicarum et orientalium, quod adsociatis sibi aliis viris doctis a. MDCCLXXVII. ad MDCCLXXXVIII. octodecim voluminibus publicavit. Praesagium illae faciebant in quo literarum genere nomen sibi paraturus esset, scilicet librorum sacrorum crisi et interpretatione et historiis. Inter alia hic coniecturam ab Astrucio aliisque propositam, de Genescos libro e diuersis narrationibus composito, quae diuersis Dei nominibus vel nunc distinguantur, multo cum acumine et doctrina illustrauit et exornauit. Praeluserat his maiori operi, *introductioni in V. T.* cuius prima editio a. MDCCLXXX. et sequenti prodiit; quo in librorum hebraicorum, tam antiquissimorum, qui Mosis nomèn gerunt, quam historicorum et propheticorum originem, auctores et indolem tanta cum eruditione et acumine critico inquisierat, vt nunc demum rectius de his libris statui posse videretur. Magno igitur studio ab orbe literato exceptum est hoc opus, adeo vt intra paucos annos tribus editionibus repeteretur, praeter duas illegitimas. Quarta editio f), qua passim ad obiectiones et sententiarum diuergia a recentioribus criticis propositarum respondit, ad V. volumina excreuit. Equidem non negauerim contra singula quaedam moneri posse, et auctorem aliquando cupidius statuisse; verum vtut in singulis diuersa sententia praeualeat, hoc tamen opus, si quod aliud, ad seros posteros auctoris nomen propagaturum esse certo mihi persuadeo.

Ea nunc erat Eichhornii celebritas, scriptis editis et lectionibus in sacros libros habendis parata, vt praecipuis in Germania doctoribus merito adnumeraretur, vnde factum vt, sublato e mortalibus magno Jo. Dav. Michaelis, ipse dignissimus haberetur qui

---

e) Geschichtsforscher P. V. Halae 1777. 8. Goth. Magazin 1. B. II. St. Gotha 1776. 8.

f) Göttingae 1824.

in eius locum succederet. Euocatus igitur in hanc literarum universitatem primum hoc egit, ut lectionibus habendis super libris biblicis, et linguarum orientalium institutionibus, Arabicae imprimis et Syriacae, satageret; et fertur harum lectionum commentarios diligenter adornatos habuisse. Lectiones nunquam nisi coactus differebat; quas magno auditorum numero stipatus habebat, attente et cupide audientium. Nec tamen a scribendo cessavit; quippe iam a. MDCCCLXXXVII. cum Jenae adhuc versaretur ephemerides literarias, *bibliothecae literarum biblicarum generalis* titulo, vulgare coeperat, quibus de praecipuis libris in hoc genere prodeuntibus referret, intermixtis dissertationibus ad res orientis et libros sacros spectantibus. Huius insignis operis per singulas particulas, quarum VI. vnum volumen efficerent, X volumina dedit, usque ad a. MDCCCII. continuata. Porro in *Apocalypsin Joannis* g) commentarium scripsit multo cum acumine et doctrina adornatum; in hoc fortasse nimis ingenio indulgens, quod librum, qui visionum seriem sistit, in dramatis formam redigere maluit. Duobus annis post *Lexici hebraici* Simonis editionem tertiam emendatam et auctam h) curavit. Mox ad libros *apocryphos V. T.* studium convertit, edita *Introductione* in hos libros i), pari studio et iudicio quo in libros hebraicos commentatus erat. Sunt isti libelli, si singulos spectes, utique leuioris momenti; si tamen universos consideres, ad historiam gentis eiusque studia, imprimis Iudaeorum in Aegypto degentium, horumque qualemcunque philosophiam, sunt notabiles, quod docte et acute hic docuit auctor. — Aliquot annis post *Carminis Iobaei* versionem vernaculam k) dedit, metro conceptam. Mox ad libros novi foederis, quos lectionibus haben-

---

g) Göl. 1791.

h) Halae 1793.

i) Lips. 1795.

k) Lips. 1800.

dis subiinde interpretatus erat, idem studium criticum traduxit, quo libros V. T. illustrauerat, et *introductionem in libros N. T.* edere coepit pari eruditione et crisi adornatam. Prima pars a. MDCCCIV. lucem adspexit, reliquae serius prodierunt, aliis auctoris occupationibus retardati.

Tot et talibus eruditionis et ingenii documentis propositis cum innumeri alii contenti fuissent, parva laude literaria et coaeuorum plausu tranquille fruentes; noster, quem iam inde ab initio historiae dulcedine captum fuisse supra vidimus, ad hanc studia sua contulit. Et primum quidem, quum versus finem seculi superioris ingens in Gallia exitisset rerum conuersio, qua regno abrogato et rege peremto respublica facta esset parum duratura, huius commutationis historiam scripsit vernaculo sermone, duobus voluminibus l). Biennio post *historiam vniuersam veteris aevi* edidit, quam mox secuta est *historia recentior m)*. Etiam hoc opus tanto assensu exceptum, vt repetitis editionibus et vsque ad V. volumina auctum prodiret n).

Verum quo erat viuido et ad nihil non suscipiendum, quo literis prodesse posset, prompto ingenio, ad finem vergente seculo proximi elapso cum aliis viris doctis consilium cepit conscribendae historiae vniuersae culturae, artium et literarum a restitutis inde literis vsque ad finem seculi XVIII. Cuius ingentis operis ac difficilis ipse initium fecit ac introductionem praemisit edita *historia cultus ac literarum Europae recentioris o)*, qua disquiritur quando, et quibus modis gentes Europaeae ad eum cultus gradum peruenierint, quo nunc versantur. Exorsus a primis gentium Germani-

l) Die Franz. Revolution in einer histor. Uebersicht. 1797.

m) Gesch. d. alten Welt 1799. Neuere Gesch. 1800.

n) Ed. II. 1804. Ed. III. 1817. 48.

o) Allgem. Geschichte der Cultur und Literatur des neuern Europa. I. B. 1796. II. B. 1799. 8.

carum initiis docet, quomodo sensim per equestrem ordinem, seruitutem sublatam, vrbes liberas, agri culturam, opificia, commercia, artes, quamuis multa obstarent impedimenta, sensim ad culturam aliquam eluctatae fuerint. Quae omnia ea cum circumspectione, ea lectionis copia et iudicii subtilitate tractata sunt, vñ pauci huius argumenti libri cum eo comparari possint. Quo magis dolendum, virum eruditissimam ab hoc instituto, cuius ipse auctor fuerat; mox discessisse. Eodem fere tempore breuiorem edidit *literarum historiam* duobus voluminibus *p*). Fusius deinde idem argumentum persecutus in *literarum historia ab earum initiis ad nostra usque tempora*, cuius ab anno inde 1805. V. volumina prodierunt. In hoc libro primum vniuerse de literarum studiis veterum ac mediæ aevi agit, deinde breuius secundum gentes et regiones Italiae, Hispaniae, Galliae, Angliae, Germaniae, Belgii rel. idem argumentum persequitur per V. volumina continuatum *q*). Iisdem annis recentioris aetatis historiam politicam memoriae prodidit prolixo opere *r*), quod sex aut septem voluminibus pluries prelo repetitum est.

Nec tamen putandum virum diligentissimum hoc historiarum studio prioribus occupationibus auocari se passum fuisse. Etenim vix publicata literarum historia edidit *introductionis in N. T. s*) partem II. et III. cuius priorem ante VI. annos dederat. Nouam editionem, longe auctiorem, absolutam vidit auctor hoc anno publicatam. Porro *prophetarum hebraeorum orationes* rhythmo libero, oratione di-

*p*) Literärgeschichte I. Th. 1799. II. Th. 1814. 8. Ed. II. 1812.

*q*) Geschichte der Literatur von ihrem Anfang bis auf die neuesten Zeiten. 1805 flg.

*r*) Gesch. der drey letzten Jahrhunderte. Th. 1—6. 1803. 4. Ed. II. 1806. Ed. III. 1817. Gesch. des 19. Jahrh. 1817.

*s*) Einleit. in das N. T. 2 u. 3. Theil. 1810. 1812.

lucida in linguam vernaculam conuersas III. voluminibus *t*). Denique Carminis Jobaei versionem emendatiorem edidit a. MDCCCXXIV.

Etiam nostrae societati, cuius ab a. inde MDCCCX. insigne ornamentum fuit, plures obtulit commentationes ingenii et multiplicis doctrinae testes, scilicet 1. de re scenica Iudaeorum. 2. de gemmis sculptis Hebraeorum *u*). 3. De Sole iniuncto Mithra *v*). 4. De Aegyptiorum anno mirabili *w*), qua ingeniose docet, Mosen phaenomenis Aegypto propriis vsu esse ad percollendum regem et missionem popularium obtinendam. 5. 6. 7. De prophetica poesi paralipomena, commentationes tres, quibus omnem causam vatam Hebraeorum noua luce collustrat, et vaticiniorum temporis notatione carentium aetatem definire aliquatenus, acute docet.

Haec sunt praecipua scripta quibus nomen suum ad omnem posteritatem propagauit vir doctissimus et celeberrimus, in quibus non nominauit Ionesii de poesi asiatica librum ab ipso editum, nec antiquam historiam ex ipsis veterum scriptorum tam Latinorum quam Graecorum narrationibus contextam *x*) aliosque libellos minores. Plurima praeterea scripsit tam in Repertorio suo literaturae biblicae et orientalis, quam in recensendis aliorum libris, in ephemeridibus Gothanis, Ienensibus, Gottingensibus, bibliotheca Berolinensi, suaque literarum biblicarum bibliotheca. Mireris profecto et stupeas quomodo vnus hominis vita tot libris conscribendis suffecerit, quos vel scribe exercitatus describere vix potuerit. Sed erat in hoc viro ingenium promptum ac perspicax, multa ac varia lectio et doctrina, memoria fida et tenax; unde, si quid com-

---

*t*) Die hebr. Profeten. Gott. 1816. 19.

*u*) Vtraque in Vol. II. Comm. recentt.

*v*) Vol. III. 1816.

*w*) Vol. IV. 1820.

*x*) Gottingae 1811. 2 Voll. ib. 1812. 4 Voll. cf. Gött. gel. Anzeigen 1813. p. 369 sqq.



mentaretur, non longa subsidiarum conquisitione et praeparatione aut deliberatione opus erat, sed statim, quid et quomodo rem tractaret, perspiciebat. Vtebatur praeterea manu subtili et accurata, distincta adeo, ut siquid prope in chartam coniecisset facile legeres, et in ipso falsi argueretur vetus dictionum, doctos male pingere. Non opus erat igitur apographis, sed statim typographis tradebantur quae sua manu scripsisset. Denique cum vnicuique studiis vitam consecrasset, aliis vitae oblectationibus nihil fere temporis tribuens, omne illud literis, legendo, scribendo, docendo insunsit.

Qua fuerit morum probitate, vitae integritate, officiorum observantia omnes nouimus. Animi tranquillitatem et comitatem iam frons serena indicabat. Ut in scribendo, ita in docendo rerum tradendarum seueritatem hilaritate quadam et serenitate temperabat, unde attenta ex ore eius pendebat iuuentus, quae nunquam non numerosa lectionibus eius interfuit, et vel hac aetate, quae vltima ipsi fuit, plus CL. ipsum audierunt. Eadem comitas et vrbalitas sermones eius cum amicis condiebat, et gratus memini quantum, cum ante plures annos subinde stato die cum aliis amicis, qui nunc omnes ad meliora euecti sunt, me solo relicto, conueniremus, colloquiis de rebus literariis aliisque tristia patriae tempora solaturi, quantum, inquam, ex eius sermonibus saepe et vtilitatis et lenimenti perceperimus.

Post tot, quae memorauimus, Viri summi de literis et hac academia merita, non mirum in ipsum plures honores, et quasi praemia, collatos fuisse. Statim enim cum Gottingam vocaretur  $\gamma$ ) consiliarii regii titulo ornatus fuit, in hanc societatem adlectus communi consensu MDCCCX. Biennio post, post obitum Heynii  $\varepsilon$ ), redigendarum ephemeridum de rebus literariis cura ei est com-

---

$\gamma$ ) 1788.

$\varepsilon$ ) 1812.

missa. Anno sequenti *a*) a secretis classis historicae et antiquariae nominatus fuit; tum ordinis Guelfici eques *b*) et a consiliis iustitiae *c*). Ante biennium *d*) cum in magno collegiarum et commilitonum plausu solennia semisecularia muneris celebraret, haec insignis felicitas, quae similiter Blumenbachio nostro et Stromeyero, viris dignissimis, contigerat, numismate memoriali caso posterorum memoriae commendata fuit, raro ac fortasse unico exemplo trium collegiarum, tantis de re literaria et ciuibus meritis insignium, vno eodemque numo ob munus per L. annos cum laude gestum, celebratorum *e*). Eichhornio nostro praeterea singularis fortuna hoc dedit, vt eodem anno solennia quinquagenaria coniugii cum vxore, matrona dignissima, celebraret. Similiter rara felicitate vtrumque filium praesentem habebat, quorum altero collega vtebatur dignissimo, alter in domo patria praesens erat senectutis solatium.

Meritorum praemiis etiam hoc adnumerandum, quod societates literariae certatim tantum virum suum facere et suorum sodalium numero adscribere studuerunt, vt Erfordiensis, Monacensis, Parisiensis, Amstelodamensis, latina Ienensis, aliae.

Valetudine vtebatur firma ac stabili, et mirum profecto, virum per omnem vitam meditando, scribendo et commentando occupatum, et vitam sedentariam agentem, semper fere bene valuisse. Nec enim nisi profecta aetate ante hos VII. annos febre laborauit per aliquot dies, et ante biennium pulmonis morbo. Sed hac demum aestate sensim defecere vires, ac per plures dies a lectionibus

---

*a*) 1813.

*b*) 1815.

*c*) 1819.

*d*) 1825.

*e*) Vid. Gött. gel. Anzeig. 1826. p. 441.

habendis, quas indefesso studio adhuc continuauerat, desistere coactus est. Tandem, quod ipse optabat, eximias mortales deposuit d. XXV. Iunii, postquam vitam produxisset ad LXXIV. annos, VIII. menses et aliquot dies. Horum per XXXIX. hanc academiam ornauit, in qua sui memoriam relinquit nunquam interituram. Hanc sancta anima!

---